401 Sed quamvis verum ſit, poſt decretum Concilii non eſſe validum matrim. per conſenſum ſecretum contractum ſinè Parocho, & teſtibus, ut ſuperiùs dictū eſt q. 8. de Matrimonio Clandeſtino; quādo tamen contractus ille cum ſerva fuiſſet ab initio factus coram Parocho, & teſtibus, talis ſolemnitas non eſt ampliùs neceſſariò adhibenda in revalidatione matrim. priùs invalidi juxtà jam dicta q. 13. art. 2. n. 284. niſi in caſu, quòd impedimentum matrimonii non eſſet ita prorſus occultum, ut ſupponitur, ſed eſſet aliquibus notum, itaut poſſet probari, aut ſciri, in tali enim caſu requiritur denuò ſolemnitas à Concilio præſcripta in revalidatione matrimonii ob rationem ibi adductam, ut etiam notavit Averſa q. 12. art. 2.

402 Tandem diſputatur etiam, num validetur matrimonium nullum per liberationem ſervi, ut v. g. ſi quis ducat Annam, quam putat liberam, ſed eſt ancilla, & poſteà contingat, illam à Domino libertate donari, adhuc inſcio viro, ac deindè vir illam habeat quoque in uxorem, & affectu martiali cognoſcat, ut anteà ſolebat, diſputatur, inquam, an per talem liberationem poſteà à Domino habitam matrimonium anteà nullum perficiatur, & validum. Et quamvis aliqui affirment, vel ſaltem probabile reputent, negant tamen communiter alii, tàm Theologi, quàm Juriſtæ, & ratio eſt, quia conjux ille quamdiù inſcius eſt nullitatis, per actus conjugales ſequentes cenſetur approbare ſolùm, & ratificare præcedens matrimonium, quod bona fide validum putat; cùm ergo re vera illud ſit invalidum, non adhuc illud revalidat, donec conſcius nullitatis illud per novum conſenſum ratificet, aut ſaltem intendat, & dicat, quòd etiamſi præcedens matrimonium cum Anna fuiſſet invalidum, vult de novo contrahere juxtà dicta ſuperiùs quæſt. 13. art. 2. de modo validandi matrimonium cum impedimento dirimente contractum ſublato impedimento. Alia plura à Theologis, & Canoniſtis de hoc impedimento ſervitutis diſputari ſolent, quæ apud alios videnda relinquo, quia hujuſmodi impedimentum hodie inter Chriſtianos rariſſimè contingit, niſi fortè reſpectu eorum, qui per Judicis ſentētiam damnati ſunt ad triremes in perpetuum eorum vita durante, aut carceri perpetuò mancipati, tales enim cùm ſint ſervi pœnæ, ut jura loquuntur, ſervilis conditionis leges ſubire debent. Hæc autem omnia videri poſſunt apud Scotum clarè diſcuſſa diſt, 36. quæſt. 1. ubi ex profeſſo agit de Impedimento ſervitutis.

ARTICULUS TERTIUS.

De Impedimento Violentiæ, & Raptus.

403 DE Violentia tractatum eſt ſuprà circà matrimonii libertatem q. 4. de libertate ad contractum conjugalem requiſita, violentia enim, ſeù vis, quæ inter impedimenta dirimentia recenſetur, coactionem ſignificat, qua quis minis, & metu ad contrahendum inducitur, qualiter autem matrimonium metu cōtractum ſit irritum, & nullum ex defectu libertatis ad talem cōtractum requiſitæ, jam ex inſtituto diſcuſſum eſt q. cit. art. 3. Quarè hic ſolùm reſtat agendum de impedimento raptus, qui proximè ad violentiam accedit, neque hic eſt ſermo de raptu, prout importat quādam luxuriæ ſpeciem, ſed ſolùm quatenùs impedit, ſeù dirimit matrimonium, & quidem quatenùs tantùm impedit legimus ſuprà q. 12. art. 2. nunc autem agendum eſt de raptu etiam dirimente. Hic autem importat violentam fœminæ extractionem puellæ, vel mulieris, qualiſcunq; illa ſit, de domicilio, ſeù loco, in quo morabatur, ſivè eſſet domus parentum, ſivè alius quicunque, itaut violentia, qua abducitur, ſit phyſica, aut moralis, nempè minis, & metu gravi, non autem ſolis precibus, aut blanditiis, ſeu donis, aut promiſſis, vel etiam dolo, & fallaciis. Et quidem jure antiquiori hoc impedimentum ita matrimonium dirimebat, ut nullatenus inter raptorem, & raptam conſiſtere poſſet, etiamſi rapta in priſtinam libertatem remiſſa conſentire, & contrahere vellet, ita habetur cap. Placuit 36. *quæſt.* 2. Jure tamen Canonico noviori correctum eſt, vel potiùs ablatum in *cap. final.* De Raptoribus, ubi ſub Innocentio Tertio ſtatutum fuit matrimonium inter raptorem, & raptam valere, ſi rapta conſentiat liberè, abſque clauſula, quòd rapta priùs eſſet in locum alium liberum reſtituit. Jure tandem noviſſimo Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. de matrimonio irritatur matrimoniū inter raptorem, & raptam, quandiù rapta manet in poteſtate raptoris, nō verò ſi fuerit ſeparata, & in loco tuto, & libero reſtituta, undè Concilium limitare hoc impedimentum conſtituit, ſcilicet pro eo ſolùm tempore, quo rapta in poteſtate raptoris manſerit; ſed poſtquam in locum liberum fuerit reſtituta extrà poteſtatem raptoris, poſſit cum eodem raptore contrahere, ſi velit, abſque ulla impedimenti diſpenſatione, ubi etiam advertendum eſt, hoc impedimentum tantùm habere locum, ubi Tridentinum receptum fuit, & viget; Circà tamen hoc Tridentini decretum aliquæ contingunt difficultates hic breviter explicandæ.

404 Primò itaque Dubitatur, an raptus, quo fęmina invitis parentibus ipſa tamen conſentiente, rapitur, dirimat matrimoniū. Affirmant nonnulli dicentes, quòd Raptus propriè dicitur, quando perſona aliqua invita, vel reſiſtentibus ejus parentibus, ſeù illis; ſub quorum cura eſt, abducitur per vim ad matrimonium contrahendum, vel libidinem explendam. Undè quando nulla vis infertur in abducenda fœmina, ſed ipſa ſponte, aut etiam præcibus diſcedit cum amatore, neſcientibus parentibus, non eſt propriè Raptus, ſed potiùs eſt fuga voluntaria, nulli enim vis infertur, atſecus dicendum eſt, quando parentes ſciunt, & renuunt. Ita Bonacina q. 4. punct. 18. citans Herinquez, Gutierz, Tuſcum, Molinam, & alios.

Negant verò Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtadus Caſpenſis, & alii, & meritò quidem, quia, ut ait Hurtad. diſp. 23. diffic. 3. Trident. in dicto decreto loquitur tantùm de Raptus, quo læditur libertas ad matrimonium requiſita, quia huic læſioni tantùm occurrere intendit; dicto autem raptu, quamvis vero, non læditur libertas ad matrimonium, quia non ſit invita fęmina, cujus tantùm libertas, & non parentum ad matrimonium conducit, ideòque in dicto decreto conſulitur libertati, non parentum, ſed ipſorum contrahentium tantùm.

405 Secundo Dubitatur, an raptus non factus cauſa contrahendi matrimonium cum rapta, ſed cauſa ſatiandæ libidinis tantùm, dirimat matrimonium. Affirmant aliqui dicentes, non ſolùm eſſe raptorem, qui abduxit fęminam contrahendi cauſa, ſed etiam qui abduxit cauſa tātùm explendæ libidinis, & conſequenter ſubjacere pęnis contrà Raptorem à Trid. conſtitutis. Fundamentum eorum eſt, quia Trid. generaliter loquitur, & abſque illa limitatione; cùm autem conſtet, illum eſſe raptorem, qui abduxit fęminam cauſa explendæ libidinis, aut cauſa contrahendi matrimonium, ſequitur etiam, ipſum pęnis Trid. ſubjacere. Deindè quia raptus etiam non factus cauſa contrahendi matrimonium lædit libertatem fœminæ ad illud. Tandem quia Trid. ibi punit raptores, quamvis Clericos, & tamen Clerici non rapiunt ad contrahendum matrimonium, ergo &c. ita Bonacina loc. cit. Emanuel Sà, Ochagavias, & aliis. Negant è contrà Sanchez, Gutierez, Reginaldus, Diana, Tancred. Coninch. Hurtad. & alii aſſerentes, matrimonium inter raptorem, & raptam eſſe invalidum, ſi rapta ſit ad contrahendum matrimonium, ſecùs ſi rapta ſit ad explendam tantùm libidinem; & hæc opinio mihi probabilior videtur.

Fundamentum eſt, quia ut ait Hurtad. loc. cit. Tridentinum in dicto decreto, & reliquis pœnis punire tantùm intendit eum, qui libertatem lædit ad matrimonium requiſitam, ut ſic puniendo dictam læſionem impediat; qui autem fęminam rapit, non ad contrahēdum matrimonium, ſed tantùm ad libidinem explendam, nō violavit libertatem ad matrimonium requiſitam, neque ad illud coegit, ergo ad nullam pœnam pro dicto impedimento à Trident. aſſignatam incurrit. Ex quo patet, ad primam rationem in oppoſitum falſum eſſe aſſumptum, quòd Tridentinum abſolutè, & generaliter loquatur. Ad 2. patet per idem quia Tridentinum ibi loquitur tantùm de raptu intentione contrahendi matrimonium facto, & deducitur ex eo, quòd in dicto capite incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam. Ad ultimum reſpondetur, ibi puniri tantùm Clericos, ut fautores, non ut raptores: addit Hurtadus, Clericos poſſe etiam eſſe raptores intentione contrahendi matrimonium, quandò non ſunt in Sacris. Hoc idem ſentit Averſa q. 12. cit. ſect. 3. ubi ait, quòd ſolummodò quādo quis rapit fęminam ad finem, & effectum contrahendi matrimonium, videtur reddi ſic inhabilis ad contrahendum, & tàm alii cooperantes, quàm ipſe, incurrere alias pęnas à Concilio impoſitas. Alioqui ſi quis fęminam rapiat ad effectum ſolùm fornicationis, committit quidem raptum ſpeciem luxuriæ, non tamen de hoc raptu videtur Concilium loqui loc. cit.

406 Tertiò Dubitatur, an ille dicendus ſit raptor, qui puellam, cum qua matrimonium contrahit nondùm conſūmmatū, abducit invitam per vim, quandò ipſa vult uti ſpatio duorum menſium ſibi à jure conceſſo antè matrimonii conſūmationem, Affirmat Bonacina loc. cit. adducens Azorium, Molinam, & alios; Ratio eſt, quia abducit invitam per vim ad explendam libidinem, & facit illi injuriam, cùm ſponſa habeat jus denegandi debitum intra bimeſtre, ut interim deliberare queat de ſtatu eligendo. Hoc tamen mihi non placet, quia Tridentinum loc. cit. loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur, in hoc autem caſu non læditur, quia Sponſi quoad hoc jam functi ſunt jure ſuo, & matrimonium cum tota eorum libertate jam contractum ſupponitur, & ratum. Imò hoc ipſum affirmat Henriquez cùm aliis de raptu propriæ ſponſæ poſt inita ſponſalia, & ante matrimonium contractum, affirmant inquam, ſi rapiatur ipſa invita, non ob id reddi inhabilem ad matrimonjum contrahendum, immeritò tamen, ut Sanch. & Hurt. advertunt, quia Tridentinum indiſcriminatim loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur, in hoc autem caſu verè læditur, undè concilium non ſufficienter providiſſet malo vitando, ſi ſponſalia, quæ obligationem ad matrimonium inducunt, ſtante tali raptu ſponſæ adhuc valida eſſent.

407 Quarto Dubitatur, an ad raptum neceſſaria ſit extractio fęminæ è propria domo, ſivè parentum; Affirmat Sanch. lib. 7. diſp. 13. plures alios adducens, & videtur communis opinio. Probabile tamen eſt, ut inquit Brancatus noſter diſp. 24. ar. 1. quòd raptus etiam

etiam ſit, ſi ad effectum contrahendi perſona non extrahatur è domo, ſivè propria, ſivè parentum, ſed in ea ita obſideatur, ut non ſit libera ad evadendum, & aliò ſe conferendum, quod etiam fundatè probat, quia finis Concil. Trid. & aliorum ſtatuentium impedimentum raptus fuit, ut matrimonia fierent cum omni libertate abſque ulla violentia, ſed etiamſi mulier non extrahatur, ſed in aliqua domo ita obſideatur, ut indè exire nequeat, nec aliò ſe conferre, adhuc manifeſta eſt violentia; ergo re vera inter raptus ſpecies talis obſeſſio eſt conſtituenda. Confir. quia Concil. invalidat matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù hæc eſt in poteſtate raptoris, & vult, quòd ſeparetur ab eo, & in loco tuto reponatur, & non alia de cauſa, niſi quia ſtando ſub poteſtate raptoris violentia patitur, ſed quamdiù mulier manet in propria domo oppreſſa, & obeſſa à raptore, eſt in poteſtate illius, nec eſt in loco tuto. Denique niſi ita dicatur, non eſſet ſufficienter proviſum libertati mulierum, & matrimoniorum, & perſonæ potentes impunè poſſet cum obſidione mulierum abſque adductione, & extractione è propria domo cum ejus contrahere, ergo &c.

408 Quintò Dubitatur, an raptus, quo fęmina rapit virum, dirimat matrimonium, ſi è converſo v. g. fœmina quædam poteſtate, & auctoritate pollens virum rapiat, nempè invitum abſtrahendo è propria domo ad finem contrahendi cum illo matrimonium. Negant Sanchez, Tancred. Rebell. Bonacina, Hurtad. Caſpenſis, Coninchius, & alii, quia dictum decretum Tridentini eſt factum contra raptorem tantùm, non contrà raptricem, cùm loquatur tantùm de raptore, & rapta, quibus nominibus ſolùm veniunt vir rapiens, & fęmina rapta, non autem fęmina rapiens, & vir raptus, & cùm tale decretum ſit odioſum, & pęnale non eſt extendendum ad raptricem, præſertim cùm ſit major ratio ad favendum fœminis, nè cogantur, quàm viris. Affirmant verò Henriquez, Rodriquez, Gutierez, Meratius, Vaga, Averſa, & ex noſtris Brancatus *l. c.* Fundamentum eſt, quia quoad hoc nō eſt major ratio de raptu viri, quàm mulieris, eadem enim ratio pro utriſque militat, nempè ob libertatem matrimonii, quæ prorſus eodem modo requiritur in viro, & fęmina, ergo ſi alteruter adducatur abſque conſenſu, æquè rapitur & quamvis faciliùs, ac frequentiùs contingit, ut vir fœminam rapiat, tamen hoc non faciat, ut ab hac lege ſit exempta fęmina virum rapiens, alioquin fęmina potens rapere poſſet impunè adoleſcentem, eumque cum violentia ad matrimonium inducere. Conf. quia non minùs libertati mulieris, quàm viri conſulendū fuit; finis autem Eccleſiæ, & Conciliorum in ſtatuendo impedimentum fuit matrimoniorum libertas; Et licet Concilia, & Canones, quaſi ſemper de mulieribus raptis loqui videantur, non proindè viri excludi debent, ſed ita loquuntur, quia regulariter loquendo id in mulieribus accidere ſolet, non in viris.

Hinc patet, quid dicendum ad rationem in oppoſitum, quia ut ait Averſa *l. c.* in hac materia ob diverſitatem nominum generis maſculini, & fęminini leges commoditatis gratia ex una parte proferunt nomen maſculinum, & ex alia fęmininum, ut in hoc caſu raptorem, & raptam, nō quia legem, & juſſionem ſuam velint juxtà ſonum materialem ipſorum nominum reſtringere, ſed potiùs volentes ob identitatem rationis pariter commutatis nòminibus intelligi, ut in hoc caſu etiam inter raptricem, & raptam, quia ut dicebamus, eadem ratio prorſus militat pro mari, & fæmina ob libertatem matrimonii æquè ex utraque parte requiſitam. Nec obſtat, quòd cùm decretum Concilii ſit correctorium, & pęnale, non debet ultrà proprios terminos extendi, neque ad caſus in eo non nominatos. Quia cùm ex alio capite matrimonii cauſa ſit favorabilis pro ejus libertate præſumendum eſt, & ipſe Sanchez etiam fatetur ea *diſp.* 13. *nu.* 17. legem correctoriam pœnalem, ubi eadem omninò ratio militat, ut eſt in propoſito, extendi debere, quarè cùm per decretum Tridentini conſulatur libertati contrahentium generatim loquendo, æquè militat, ſive vir rapiat, ſive fęmina.

409 Sextò tandem loquendo de pęnis Raptorum, & cooperantium ad ipſum, ōmiſſis variis pęnis, quæ habentur in jure civili, quas refert Iulius Clarius §. Raptus tria pœnarum genera ſunt conſtituta in Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de refor. matrim.* Prima eſt, ut Raptor, & omnes conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatem incapaces, verum tamen eſt, excommunicationem iſtam jure communi non eſſe reſervatam, cùm in Trid. nulla fiat reſervationis mentio. Secunda eſt, ut raptor, ſive matrimonium contrahat cum rapta, ſive non, teneatur ad decenter dotandam raptam Iudicis arbitrio, quoad alia verò damna tenetur jure naturæ, etiam ante Iudicis, ſententiam, ut ait Sanchez *l. c.* Tertia tandem eſt, ut ſit invalidum matrimonium inter raptorem, & raptam celebratum, quamdiù rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi liberè conſentiat; Ex quo patet, ſolùm raptorem incurrere impedimentum contrahendi cum rapta, & non alios ad raptum cooperantes, ſed hi aliis pœnas incurrunt, & hoc ex ipſis Concilii verbis expreſsè deducitur, ſi quit enim, inter raptorem, & raptam non poſſe matrimonium conſiſtere, ac deinde ſubdit, non ſolùm raptorem, ſed etiam alios præbentes conſilium, auxilium, & favorem excommunicationi obnoxios eſſe, aliiſque pœnis. Unde ſi quis mandet alteri; ut pro ipſo fœminam rapiat, raptor cenſebitur mandans, non exequens, ſed hic ſe habebit, tanquam auxilium præbens, ac proinde is, qui mandat, non qui exequitur, impedimentum incurrit, & inhabilis redditur ad contrahendum cum tali fœmina rapta, quandiū in ejus poteſtate manſerit.

QUÆSTIO DECIMAQUINTA.

De Impedimento Impotentiæ.

410 CUm finis primarius matrimonii ſit prolis generatio, & hæc non niſi per carnalem copulam naturali modo obtineri poſſit, planè vir, & fœmina, qui matrimonio ſunt jungendi, ad hujuſmodi copulam habiles eſſe debent, quare impotentia, & habilitas ad exercendam talem copulam ad humanam generationem neceſſariam maximè matrimonium impedit, & hoc ēſt Impedimentum dirimens, de quo in præſenti quæſtione agendum, eſt, ſive hoc ſe teneat ex parte viri, ſive ex parte mulieris, dummodò fuerit eo tempore, quo matrimonium contractum eſt, non vero poſteà ſubſecutum ſit; Sed quia varii ſunt hujus impotentiæ gradus, priùs abſolutè videndum eſt, & in generali, qualiter impotentia ſimpliciter impediat, ac dirimat matrimonium, deindè ſingillatim, & in particulari, quænam impotentia dirimat juxta ordinem, quem ſervat Doctor noſter 4 *diſt.* 34. *qu. un.* ubi agit de hoc impedimento.

ARTICULUS PRIMUS.

An Impotentia ſimpliciter ad copulam ſit impedimentum dirimens matrimonium.

411 PEr Impotentim in præſenti, ut dixi, intelligitur inhabilitas conſummandi matrimonium, ſive ex parte viri ſe teneat, ſive ex parte fęminæ, quæ inhabilitas non eſt ex eo præciſè, quòd alteruter conjugum, aut uterque ſint ſteriles, quia impotentia ad generandum, ſeù ad prolificandum, dummodò adſit potentia ad copulam carnalem, & ſeminationem, non eſt impedimentū dirimens, ut omnes paſſim concedunt cum Scoto 4. *diſp.* 81. *qu. un. ad* 3. *prin.* ubi ait, quòd contrahens non tenetur abſolutè ad prolē ſed conditionatè, ſi eveniat ad gratanter ſuſcipiēdum, & religioſè educandum, & non ad procurandum ſtudioſè oppoſitum, ſcilicet ne eveniat, & ubi eſt certa impoſſibilitas ad bonum prolis, tunc matrimonium eſt ibi in remedium, non in officium, quia ut ſuprà dixerat *diſt.* 26. *ſub Q. & R.* inſtitutio divina reſpectu contractus matrimonii licèt fuerit ad procreandam prolem, tanquam propter finem principalem, & primarium, tamen præter hoc fuit inſtitutū etiam in remedium, ſcilicet vitandæ incontinentiæ poſt lapſum, tanquam propter finem ſecundarium, & minùs principalem, quare in caſu ſterilitatis matrimonium eſt in remedium concupiſcentiæ, quia homo poſt Adæ lapſum uritur à concupiſcentia, Deus autem huic morbo piiſſimè ſubvenit, ut etiamſi proles non poſſit haberi, matrimonia fiant, & ideò dixit Apoſt. 1. Cor. 7. propter vitandam fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & mulier ſuum virum, & poſteà nulla prolis mentione facta ſubdit *melius eſt nubere quàm uri*, quare Doctores omnes docent, validum eſſe matrimonium inter ſteriles contractum, quia inter iſtos adhuc intercedit vera copula apta ex ſua natura ad generationem, & videre eſt apud Bonacina *q.* 3. *punc.* 13. *n.* 17. ubi alios citat.

412 Hoc itaque ſuppoſito controverſia eſt, an impotentia ſimpliciter ad coeundum ſit impedimentum dirimens, & quæſtio eſt de impotentia exiſtente, vel adveniente, antequam matrimonium contrahatur, nam ſi ſuperveniat matrimonio jam contracto, cōveniunt omnes nō dirimere, ob indiſſolubilitatem matrimonii ſemel validè contracti, ſivè ſit conſummatū, ſive tantummodò ratum; Et quidem D. Thomas 4. *diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4. expreſſè docet, validum eſſe matrimonium inter impotentes, vel potentem, & impotentem contractum ad ſervandam, ſcilicet continentiam, & ad caſtè vivendum tantùm, quam opinionem fuſiſſimè, & mordicus defendit Baſilius Ponce *lib.* 7. *cap.* 56. & tribus aliis ſequentibus ubi contendit, poſſe validè contrahi matrimonium inter impotentes ad finem caſtè vivendi, & non ad finem habendi copulam & hoc pacto valere, ſed ſi contrahatur ad finem habenti copulam non valere, quam etiam ſententiam, ut de mente Doctoris Angelici noviſſimè tuetur Petrus Labatus diſp. 6. & ult. cum quibuſdam aliis Thomiſtis in explicatione hujus impedimenti im-impotentiæ.

413 Fundamentum eſt, quia ad matrimonium non videtur neceſſaria mutua corporum traditio ad coitum, ſed tantùm mutua animorum conjunctio naturalem vitæ ſocietatem cum diverſitate ſexus, quia matrimonium ſua natura non tantùm ordinatur ad prolis generationem, ſed etiam ad ſocietatem, ergo quamvis impotentia ad coitum inhabilitet ad matrimonium contrahendum in ordine ad prolis generationem, non tamē ad dictam ſocietatem Confirm. quia poteſt conſiſtere matrimonium cum traditione domi-

dominii corporum abſq; uſu, ac etiam cum antecedenti Virginitatis voto, ut de facto in B. Virgine abſq; ullo conſenſu in copulam & cum quadam impotentia morali ad illam habendam; ergo ſimiliter cum impotentia phyſica conſiſtere poteſt, & etiam inter impotentes poterit tradi dominiũ corporũ, quamvis uſus copulæ ſit impoſſibilis Deniq; quia ſi ſuperveniat impotentia poſt matrim. contractũ, permanente tamen diverſitate ſexus; utiq; non diſſolvitur, ut omnes fatentur; ergò nec ſi impotentia præcedebat, redditur irritum matrim. His itaq; rationibus fidentes prædicti Auctores dicunt cum D. Thoma loc. cit. quòd impotentia unius coniugis, ſi ſit alteri nota; matrimonium non dirimit, ſed ſolùm quando eſt ignorata, ut dicitur de ſervitute, imò addunt alii, impotentiam etiam ignoratam matrimonium dirimere ſolo iure Eccleſiaſtico, non autem naturali, ad inſtar ſervitutis ignoratæ.

Communis tamen opinio tàm Iuriſtarum, quàm Theologorum abſolutè docet, impotentiam ſimpliciter impedire matrimonium ac dirimere, non ſolùm ignoratam, ſed etiam alteri parti cognitam nec ſolùm in ordine ad carnales actus exercendos, ſed etiam ad caſtè vivendum, & non ſolùm iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali; & hoc præſertim inter alios expreſsè docuerunt D. Bonav. 4. *diſp.* 34. *ar.* 2. *q.* 1. & Scotus noſter ibidem, ubi ait ab initio quæſtionis, quòd in generali omnis impotentia ſimpliciter, & perpetua, cui ſcilicet non poteſt ſubveniri per naturã, vel artem, ſimpliciter impedit contrahendum, & dirimit contractum; Hoc idem tenent Recentiores paſſim, Sanchez, Hurtad. Tancred. Vaſquez Averſa, Caſpenſis, qui alios citant, & ex noſtris Hiqueus 4. d. 34. & Brancatus *diſp.* 23. *art.* 30. Et quidem in jure Eccleſiaſtico ſtatutum, ſivè expreſſum invenitur hoc impedimentum dirimens per plures Canones ſub titulo de Frigid. & Maleficiat. præſertim verò in cap. *Conſolationis, & Laudabilem*, dùm in eis abſque ulla limitatione, & diſcrimine impotentiæ ignoratæ, vel cognitæ, & abſque diſcrimine intentionis ad actus conjugales, vel ad caſtè vivendum, abſolutè dicitur, quando eſt impotentia ad coitum, fæminam non poſſe haberi, ut uxorem, ſed tantùm ut ſororem, quos Canones per extensũ more ſuò refert Brancatus noſter *diſp.* 23. *cit. art.* 2. Idem etiam definitum legitur in motu proprio Sixti V. in Conſt. 59. incipiente *Cùm frequenter*, ubi ait, *Secundum Canonicas ſanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, iidem minimè apti ad matrimonia contrahenda reputantur*, quibus verbis non ſolùm irrita eſſe, & nulla hujuſmodi matrimonia impotentium declaravit, abſque ulla diſtinctione matrimonii ad hunc, vel illum uſum ſed etiam indicavit, ita eſſe non tantùm ex jure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali.

415 Hanc autem rationem naturalem adducit *diſt. cit.* ab initio quia contractus eſt datio poteſtatis corporum ad copulam, ſi petatur, ſed impotens ſimpliciter non habet poteſtatem ad talem actũ, ergo non poteſt eam dare, & ſic neque contrahere, & hæc eſt ratio à priori, quàm adducunt Recentiores paſſim, nempè quia eſſentialis ratio hujus contractus conſiſtit in eo, quod tradatur mutua poteſtas, jus, & dominium inter virum, & fæminam ad habendam copulam carnalem; ſed ubi adeſt impotentia phyſica ad habendam hujuſmodi copulam, talis poteſtas, & jus planè tradi non poteſt, ergo ex natura rei non poteſt cum ea abſoluta impotentia contractus conjugalis conſiſtere, nec validè matrimoniũ contrahi. Confirmat id Doctor ibidem, quia impotens in contractu iſto obligat ſe ad actum iſtum, ſi petatur, ſed hujuſmodi actus eſt ſibi impoſſibilis, etiamſi petatur; ergo obligat ſe ad impoſſibile, obligatio autem ad impoſſibile eſt nulla ex lege divina, ergo nulla eſt. Tandem arguit, quia alter conjux non impotens intendit commutare poteſtatem ſui corporis pro poteſtate corporis alterius, ergo credit, alium converſo poſſe commutare, ſed non poteſt, ergo hic contrahit cum errore pertinente ad aliquid, quòd eſt per ſe requiſitum ad contractum, talis autem error facit contractum nullum, ut patet ex *qu. præced.* Hoc idem probari ulteriùs poteſt ex eodem Scoto 4. d. 31. ubi ait, matrimonium ex ſui inſtitutione ob duplicẽ finem contrahi poſſe unum primarium, ſcilicet ad prolificandum, alterum ſecundarium, ſcilicet in remedium concupiſcentiæ, cùm igitur impotens nullum ex finibus his habere poſſit in contrahẽdo conſequens eſt, ut impotentes ſimpliciter ſint hujus contractus incapaces; Et quidem hæ rationes planè convincunt, non ſolùm ſi impotentia unius conjugis, erat alteri ignota, ſed etiam ſi erat cognita, ac etiam nec poſſe validè contrahi matrimonium ad caſtè vivendum cum tali impotentia, quia licèt non ſit de eſſentia matrimonii, ut conjuges habeant voluntatem exercendi copulam, imò poſſint è contrà animum habere ab ea abſtinendi, & nunquam conjugali ſua poteſtate utendi; imò quoque id ſibi promitttere poſſint, & voto ſe invicem obligare, omninò tamen de ratione matrimonii eſt, ut dicebamus cum Scoto, quòd conjuges per hunc contractum acquirant inter ſe poteſtatem, jus, & dominium ad habendam copulam, ſi alter eorum petierit, quod quidem cum totali impotentia phyſica ſtare non poteſt.

416 Deindè probatur hoc idem ratione à poſteriori ex abſurdis deducta, quam latè proſequitur Averſa q. 13. ſec. 1. & latiùs adhuc Brancatus ar. 10. cit. nam ſi cum hac phyſica impotentia poſſet validè contrahi matrimonium ad naturalem vitæ, & officiorum in diverſo ſexu ſocietatem, & ad caſtè vivendum, non præſtita inter coniuges corporum poteſtate, Primò ſequeretur, matrimonium ex ſe non eſſe perpetuum, quia eſt tantùm tale ob bonum prolis. Secundò poſſet etiam contrahi inter potentes, qui ſi poſteà haberent inter ſe copulam, peccarent peccato fornicationis, ſiquidem non ſibi tradiderunt mutuum corporum dominium, abſurdum autem eſt, imò omninò repugnans, quòd coniugium ſit verum, & copula fornicaria. Tertiò ſequeretur, poſſe matrimonium contrahi inter patrem, & filiam, fratrem, & ſorores cum excluſione obligationis ad copulam, quia ſunt perſonæ aptæ ad dictam ſocietatem. Tandem ſequeretur, ſi tale matrimonium eſſet validum, quòd ſi coniux potens commiſceretur cum alio, non comitteret adulterium, ſed ſimplicem fornicationem, quia non faceret contrà iuſtitiam alterius coniugis, cùm illi ſuum corpus ad effectum copulæ non obligaverit; ideòque in nullo læſus eſſet. Quarè ex his rationibus deduci debet hæc matrimonia ad caſtè vivendum ſolùm contracta, & naturalem vitæ, & officiorum ſocietatem in diverſo ſexu, abſq; ullo corporum dominio, & obligatione ad copulam, eſſet Chrimerica, & abſque ullo fundamento inventa; ſiquidem ut ait Brancatus loc. cit. matrimonia non ſunt ab hominibus inſtituta, ſed à Deo, & natura, Deus autem in officium naturæ ad prolificandum, & in concupiſcentię remedium ea inſtituit; ergo ſi ad aliud ordinentur non erunt ex iis, quæ Deus inſtituit, nec vinculũ eorum habebunt, ſed erunt aliæ ſocietatis, colligationeſque, & contractus innominati; Neq; Eccleſia hoc matrimonii genus unquam cognovit; imò ſemper declaravit matrimonia impotentium invalida, quod non feciſſet, ſi in aliquo caſu valida forent, hunc enim caſum ſacri Canones expreſſiſſent, & excepiſſent, quòd nempè ſi ſponſi contraxerint ad caſtè vivendum, eſtò ſint impotentes, ſeparari non poſſint & tamen nunquam expreſſerunt, ſignum ergo evidens eſt, tales contractus ab Eccleſia non haberi, ut matrimoniales.

417 Sed inſtat Ponce loc. cit. & probat ex ſummis Pontificibus, & ſacris Canonibus, nec etiam Eccleſiaſtico irritum eſſe matrim. impotentium, atque adeò inter fideles poſſe adhuc validè contrahi eo modo, nam Lucius Tertius Papa *cap. Conſultationis de frigid & Maleficiat.* in huiuſmodi caſibus in quibus viri duxerint fęminas, quas noverint impotentes ad copulam, reſpondet, *Ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores*, ubi Pontifex ſupponere videtur, valere quidem tale matrim. ut tales coniuges ſimul maneant ad caſtè vivendum, tanquam frater, & ſoror, quamvis rei uxoris, & actibus carnalibus vacare non valeant, nec debeant Similiter loquitur Gregorius Papa *capitol. Requiſiſti, ſi non poteſt ea uti pro uxore; habeat ut Sororem, quod ſi retinaculum coniugale voluerint reſcindere, maneant utriq; innupti*, quibus verbis ſupponit, Pontifex inter eos inveniri retinaculum coniugale, hoc eſt, validum matrimonii vinculum; Sic etiam loquitur Celeſtinus Papa Tertius in *cap. laudabilem* propoſito ſibi caſu de impotente, à quo uxor cognoſci non potuit carnaliter per triennium. *Si ambo ſimul eſſent, vir eam et ſi non ut uxorem, ſaltem ut ſororem habeat* Deniq; Sixtus Quintus in Conſt. cit. declaravit nulla, & irrita Eunuchorum matrimonia, qui non ad caſte vivendum, ſed ad carnales actus exercendos contraxerant, ubi ſupponit etiam ipſe, inter impotentes matrim. celebrari poſſe in ordine ad caſtè vivendum, & ut fratres. Imò Scotus ipſe hoc approbare videtur diſp. 34. in fine, dùm ſolvens argumentum de ſene impotente ait, ſi ſenex eſſet omninò impotens dicerem, quòd non contraheret matrim. licèt aliqua poſſet conſentire in eum, ſicut frater, & ſoror, & ita fortè multæ magis deſponſant divitias, quàm perſonã, quibus verbis innuit, poſſe dari matrim. tantùm ad caſtè vivendum.

418 Reſpondeo, Canones iſtos optimè, & ſingillatim ponderari & explicari à Brancato noſtro art. 10. cit. ſed breviter dicendum eſt, illos ſolùm voluiſſe, poſſe quidem tales coniugatos cohabitare ſimul ſi, velint, nec eſſe cogendos, abinvicem ſeparari, dummodò tamen caſtè vivant ad inſtar fratris, & ſororis; & conſilium illud de ſimul cohabitando, ut frater, & ſoror, non firmat cohabitationem illam eſſe verè coniugalem, cùm dicãt, poſſe ſeparari, ſi velint Et planè de hoc chimerico matrimonio ad ſolùm caſtè vivendum contracto Pontifices ibi non loquuntur, ſed de matrimonio, quod tales contraxerant modo conſueto ad vacandũ actibus coniugalibus, & concedunt illis triennium ad experiendum, ſi coire poſſint, & copulari, & rurſus, ut ſi velit is, qui potens eſt, contrahere valeat cum alia perſona potente; inquit enim præſertim Gregorius, ſi mulier, quæ potens eſt, velit, *ſecundas nuptias contrahere poſſe, vir autem, qui frigidæ eſt naturæ, maneat ſine coniuge*. Quòd verò dicat, *ſi retinaculum coniugale velint velint reſcindere*, non per hoc indicare voluit, quòd verè ſint vinculati, & ligati ab initio, quia tunc nõ poſſent ampliùs ſolvi, & ſeparari, ſed tantùm intellexit mutuam cohabitationem, ſivè apparens, & putativum coniugium Sic pariter, & in eodem ſenſus locutus eſt Sixtus Quintus in *Conſt. cit.* ubi nõ de novo Eunuch. reddidit inhabiles ad quomodolibet cõtrahendũ ſed declaravit, eſſe omninò inhabiles. Et ſic tandẽ loc. eſt Scot. *l. c.* loquitur enim de cohabitatione, ut frater, & ſoror, nõ autem de cohabitatione verè coniugali, & de conſenſu ad cohabitandum

tandum ſimul, non ad matrimonialiter contrahendum, alioquin ſibi ſtatim contradiceret, cùm immediate anteà dixiſſet, *ſi ſenex eſſet omninò impotens, dicerem, quod non contraheret matrimonium*.

419 Ad rationẽ in oppoſitum adductam negatur aſſumptum, nam de eſſentia matrimonii prout à Deo, & natura inſtituti eſt traditio mutuę poteſtatis in corpora conjugum ad habendam copulã carnalem, quæ planè phyſicam impotentiam importat, ideòque cùm phyſica impotentia matrimonium conſiſtere nequit, & quamvis matrimonium ordinetur quoque ad naturalem vitæ, & officiorum in diverſo ſexu ſocietatem, quia tamen etiam, & primariò ordinatur ad prolis generationem, ideò ab impotentibus ad coitum, potè ad eam ineptis, validè contrahi nequit. Ad Confir. conceſſo aſſumpto quoad utramque partem, neganda adhuc eſt conſequentia, quia tradi poteſt quidem dominium abſque uſu, ſed nõ abſque poteſtate, & potentia utendi, ut dictum eſt ſuprà. *q.* 5. *ar.* 1. *n.* 162. poteſt item contrahi matrimonium cum obligatione morali ex voto abſtinendi à copula, ut etiam dictum eſt *q.* 3. *ar.* 3. *n.* 111. & ratio eſt, quia hæc obligatio ſpectat ad virtutem Religionis, & hæc matrimonio non repugnat; at nequaquam contrahi poteſt cum impotẽtia phyſica coeundi, & copulam habendi, quia talis impotentia per ſe impedit jus, & dominium mutuum in corpora, quod conjuges in matrimonio præſtare debent, & eſt de eſſentia contractus conjugalis, ubi autem eſſentia contractus non poteſt eſſe, non poſſunt illam contrahentes efficere, & cedere juri ſuo, & ad illud de B. Virgine jam ſuo loco diximus, adfuiſſe in ea obligationem ad copulã ſub conditione, ſi peteretur, & Deus diſpenſaſſet, etenim ſine hac obligatione matrimonium conſiſtere nequit. Ad ultimum negatur conſequentia, & paritas, & ratio diſparitatis eſt, quia per ſupervenientem impotentiam matrimonium non diſſolvitur eo, quòd exiſtente potentia jam traditum erat jus, & dominium mutuum inter corpora conjugum, ſed pręcedente impotentia tale jus, & dominium non poteſt.

420 Dices copula non eſt de eſſentia matrimonii, & Senes poſſunt validè contrahere, & Eccleſia id permittit, ut patet ex praxi, & tamen ſunt impotentes ad copulam, quod etiam confirmari poteſt ex facto Davidis, qui in ſenectute habuit Sunamitidem, cùm tamen tunc eſſet impotens, ergo impotentia ſimpliciter ad copulã non eſt impedimentum dirimens. Reſp. negando conſequentiam eſtò enim actualis copula non ſit de eſſentia, tamen obligatio ad eam eſt de eſſentia, ſicut licèt actualis diſcurſus non ſit de hominis eſſentia, eſt tamen potentia ad diſcurrendum, cùm enim contractus conjugalis conſiſtat in mutua corporum traditione in ordine ad copulam, ſi petatur, debet neceſſariò in contrahentibus reperiri poteſtas ad eam, alioquin cõſenſus invalidus eſſet, quia nihil transferretur; Ad illud de ſenibus inquit Doctor *d.* 34. *ad.* 2. ſenes impotentes non poſſe validè contrahere, neque Eccleſia id eis permittit ſed tantùm ſenibus coire potentibus, & talis erat David, quando Sunamitidem duxit, quamvis enim ſcriptura dicat, quòd non cognovit eam, non tamen dicit, quòd cognoſcere non potuerit; Quandò igitur ſenes poſſint copulam perficere ſeminando non habent impedimentum impotentiæ, quia dare poſſunt ſui corporis poteſtatem conjugi ad aliquem ex duobus matrimonii finibus, & poſſunt carnalem copulam conſummare ad finem procreandi prolem, vel ad remedium concupiſcentiæ, vel ad utrumque, & quando etiam prolificare non poſſent ob ſeminis infœcunditatem, & debilitatem, hoc non obſtat, nec eos facit impotentes ad contrahendũ, alioquin ſequeretur, matrimonia ſterilium eſſe invalida, quod eſt falſum, quia nullus eſt Canon, qui inter impedimenta impotentiæ numeret ſterilitatem, ſed ſolùm impotentiam coeundi, & alioquin antequam quis contraheret, priùs fœcunditatem ſeminis probare deberet, quod omninò falſum eſt, & contrà praxim Eccleſiæ; Senes verò qui coire nequeunt, nec copulam perficere, impedimentũ impotentiæ cenſentur habere, quia dare non poſſunt poteſtatem corporis alteri ad copulam carnalẽ perficiendam, nec ulli ex duobus matrimonii finibus jam relatis ſatisfacere, & ideò revera impedimentum habent impotentiæ ex omni parte; Alia Baſilii Ponce argumenta ex ratione, & Patrum auctoritate deducta vide ſoluta apud Hiqueum *diſ.* 34. *in Comentario unm.* 34. *& ſeq.* ubi fusè hanc quæſtionem pertractat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ, & qualis Impotentia matrimonium dirimat.

421 SCotus *diſt.* 34. *cit.* dicit, quòd Impotentia, quę eſt defectus potentiæ ad coeundum, ideſt, ad habendam copulã carnalem perfectam, poteſt eſſe duplex, vel perpetua, cui ſcilicet ſubveniri non poteſt per naturam, vel artem, vel temporalis, ſeù ad tempus, quæ naturalibus remediis tolli poteſt; Item poteſt eſſe vel abſoluta, ideſt, in ordine ad omnem perſonam, vel reſpectiva ideſt, non in ordine ad omnem perſonam, ſed tantùm reſpectivè in ordine ad aliquam determinatam perſonam; Utriuſque autem impotentię duplex cauſa eſſe poteſt, una naturalis, alia præternaturalis, vel caſualis, ut ait Doctor; Naturalis poteſt eſſe vel ab intrinſeco, nimirùm ex naturali corporis diſpoſitione, & complexione, & provenire poteſt vel ex nimia frigiditate, quæ reddit copulam impoſſibilem, vel ex nimia arctatione in muliere, quæ à viro effringi nequeat, vel ex nimio calore, quo vir accenſus ſtatim ad primum conatum congrediendi cum fęmina præpoperę extrà vas ſemen effundit, vel poteſt eſſe ab extrinſeco, ut ex mutilatione virilium, aut teſtium in viris. Præternaturalis verò, ſeù cauſalis accidit per maleficium Dæmonis, qui ſolet ligare maximè in viris potentiam ad carnalem congreſſum, ut ipſa experientia docet. His præſuppoſitis.

422 Primò ſatis patet ex dictis *art. præced.* omnem impotentiam coeundi ſimpliciter, & perpetuam, cui non poteſt adhiberi remedium, nec per naturam, nec per artem, ſi præcedat contractum matrimonii, ſimpliciter impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum reſpectu cuiuſcumque eſt tale impedimẽtum, quod ideò dicitur, quia poſſet eſſe aliquis perpetuò maleficiatus reſpectu unius, & nõ reſpectu alterius, & ſimiliter aliqua poſſet eſſe arcta, non ſimpliciter reſpectu cuiuſcumque viri, ſed reſpectu unius, & non reſpectu alterius; ſi verò talis impotentia eveniat poſt matrimonium conſummatum, aut etiam ſi ſequatur matrimonium ratum, licèt præcedat conſummationẽ, non dirimit matrimonium quia cum matrimonio rato fuit poteſtas irrevocabiliter tradita, licèt poſteà eveniat impedimentum actus; ita de omni matrimonio deciſum eſt *c. Hi qui* 32. *q.* 7. tàm conſũmato, quàm rato, ſiquidem etiam matrimonium ratum ex inſtitutione ſua indiſſolubile eſt, ſolùmque ex conceſſione Chriſti factum eſt, ut per auctoritatem Eccleſiæ ſolvi poſſit, ſicut de facto ſolvitur per ſolemnem profeſſionem, ſed ſtatutum non eſt, ut per ſupervenientem impotentiã diſſolvatur; ita Scotus *loc. cit.* Sanch. Henriq. Filliuc. Averſa, Steph. à S. Greg. Branc. noſter, & communiter omnes; Si verò dubitetur, an impotentia præceſſerit, vel ſupervenerit ad coniugalem, licèt aliqui dixerint, nõ debere dirimi matrimonium, ſed potiùs præſumi, ac ſuſtineri debere validum; communior tamen ſententia eſt, in tali dubio debere potiùs præſumi impedimentum præceſſiſſe, atque matrimonium non valere, ſed dirimi debere, ita Averſa *q.* 13. *ſec.* 4. & Bonacina *q.* 13. *punct.* 13. qui alios adducunt,

423 Secundò certum etiam eſt ex Scoto *loc. c. & d.* 42. impotentiam temporaneam, ſeù ad tempus non dirimere matrimonium, etiamſi erat ignota alteri contrahenti, ut patet ex *c. Fraternitatis*, etenim in iure conceditur potiùs certum tempus experientiæ ad videndum, ſi impotentia ſit perpetua, vel temporalis, ut conſtet de nullitate, aut valore matrimonii, & iubetur etiam reſtaurari matrimonium diſſolutum, ſi poſteà comperiatur impotentia fuiſſe temporalis, & non perpetua, & ſimiliter ratio dictat, quòd ſi quis ad tempus ſit impotens, ſed poſſit fieri potens, verè ſit capax matrimonii, quia licèt cum impotentia perpetua non poſſit haberi finis matrimonii, poteſt tamen haberi cum impotẽtia ad tempus; & lex matrimonii obligat ad inſtar præceptorum affirmativorum, quæ obligant ſemper, ſed non pro ſemper, ſic etiam matrimonium non obligat pro ſemper ad reddendum debitum, ſed dum potens eſt, & benè poteſt quis obligari pro debito, quod de præſenti non eſt ſolvendum, ſed pro tempore, quo ſolvendum erit, ut notat Sanchez *lib.* 7. *n.* 92. Excipi tamen debet impotentia temporis ex defectu ætatis, quæ iure Eccleſiaſtico interim dirimit, ita enim ſtatutum eſt per plura capita ſub titulo de Deſponſat. impuberum, ubi cautum eſt, ne pueri antè pubertatem matrimonium contrahere valeant, & præfigitur ætas pubertatis in maribus quidem quatuordecim annorum, in fęminis duodecim; ita communiter omnes, ſed præſertim Scotus *diſt.* 36. *q.* 2. ubi etiam in fine ait, aliquando malitia ſupplente ætatem valida eſſe poſſe matrimonia, & ita omnes Doctores intelligunt, & fatentur, & eodem iure ſtatutum eſt Cap. *De illis c. Puberes & c. ult. de Deſponſ. impuberum*, ubi nomine malitiæ præcipuè accipitur potentia generandi, ideſt, habendi copulam perfectam cum emiſſione ſeminis, de quo plura exempla refert Tiraquel. *lib.* 6. *Conub. n.* 37. 37. dignoſcitur autem hæc potentia ad copulam ante ſolitam ætatem, non ſolùm ex copula ipſa realiter ſecuta, ſed ex aliis quoque ſignis; ut pote habitu, & qualitate corporis, diſpoſitione membrorum, attenta etiam propinquitate ad annos pubertatis, de quo plura videri poſſunt apud Brancat. noſtrum *d.* 23. *art.* 7. ubi ex profeſſo de hac re diſſerit, an impotentia ratione ætatis puerilis ſit impedimentum dirimens.

424 Tertiò, impotentia etiam reſpectiva perpetua ex quavis proveniat cauſa, ſive ex parte unius tantùm interveniat, ſivè ex parte utriuſque dirimit matrimonium, ita Doctores communiter, & præſertim Sanchez, Tancred. Meratius, Ponce, Hurtadus, Caſpenſis, & alii, quod probant ex *c. Fraternitatis*, de frigidis, & ex *c.* 33. *q.* 1. ac etiam ratione, quia ut arguit Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 6. contingere poteſt, ut vir ſit ita debilis, & mulier ita arcta, aut membrum viri ſit ita groſſum, & os vaſis fęminei adeò anguſtum, quòd fęmina nulla humana induſtriis abſque vitæ periculo poſſit ei proportionari, ut ab eo cognoſcatur; & quòd ſit proportionata alteri, aut poſſit proportionari abſque dicto periculo, ut poſſit ab eo cognoſci; ergo negari non poteſt, poſſibilem eſſe impotentiam aliquam naturalem reſpectivam, quæ ſit perpetua, ac proindè diri-

dirimens matrimonium, & hoc etiam tenet tanquam de mente Doctoris Brancatus noſter *dtſp.cit.ar.4.n.12.* Neque oppoſitum deducitur ex Can.3.33.q.1. ubi dicitur; *Nam ſi huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conveniat?* Non inquam, ex eo Canone oppoſitum deducitur, ut aliqui contendunt, quia ut patet legenti textum, ibi tantùm eſt ſermo de impedimento proveniente à naturali frigiditate, quod non eſt reſpectivum, ſed abſolutum, & de eodem eſt ſermo in cap. laudabilem de Frigidis, ut patet ex initio ipſius.

426 Quartò Dicendum etiam eſt, impotentiam ortam ex maleficio, & arte Dęmonis inductam dirimere pariter matrimonium, ſi perpetua ſit, & abſoluta in ordine ad omnes, vel reſpectiva in ordine ad eos, ad quos privatim eſt impotentia. Ita etiam docent communiter Doctores, & deducitur ex Scoto l.c. ratio eſt, quia ſi impotentia eſt perpetua abſoluta, vel reſpectiva, parum refert, quòd proveniat à cauſa maleficii, vel ab alia cauſa naturali intrinſeca, vel extrinſeca, ut conſtat ex toto titulo De Frigid, & Maleficiat. Quomodo autem dignoſci poſſit, impotentiam eſſe perpetuam, vel tẽporalem, hæc regula communiter aſſignari ſolet, quòd quantum ad impotentiam naturalem id dignoſcendum eſt ex judicio Medicorum, & peritorum; quantum verò ad illam, quæ oritur ex maleficio, in cap. *finali* De Frigid. & Maleficiat. datur tempus triennii ad id experiendum, & ſi eo temporis ſpatio impotentia non tollitur, ſupponitur eſſe perpetua, & matrimonium diſſolvitur, poſſuntque vir, & mulier cum aliis contrahere, quia qui ex tali impedimẽto inhabilis cum una, poteſt non eſſe cum alia, & ſi cum alia ſit habilis, non propterea ad priorem conjugem redire tenetur, quia cenſendum eſt, quod reſpectu ipſius erat perpetuò impotens. Ex quo ſequitur, malè negaſſe aliquos, impotentiam ex maleficio provenientem dirimere matrimonium, quod inquiunt deduci ex cap. *ex litteris q.* De frigidis, dùm dicitur, *ſi vitium illud mulier à natura contraxit, viro aliam accipiendi liberam tribuas poteſtatem*, ubi ſupponi videtur, quòd quando impotentia non provenit à natura, non dirimit matrimonium. Malè, inquam, id negatur, quia quæcũcunque impotentia quãdo perpetua eſt, dirimit matrimoniũ, ut cõſtat ex toto titulo de Frigidis, ex maleficio autẽm poteſt provenire impotẽtia perpetua, quia ex maleficio tanta frigiditas effici poteſt quanta eſt naturalis, ex qua provenit impotentia naturalis abſoluta & perpetua, & D. Bonav. *d.34.p.2.q.1.n.26.* inquit, quòd non omne maleficium poteſt deſtrui à maleficis, nam ex eorum confeſſione ſciunt quædam facere, quæ non poſſunt deſtruere; Et quamvis Exorciſmus valeat ad pellendos Dæmones, tamen ex juſto Dei judicio non ſemper habet effectum, ut patet de ipſis Apoſtolis, qui non potuerunt Dęmonium eiicere Matth. 17. Neque ex *cap.* cit. oppoſitum deducitur, quamvis enim ibi dicatur, impotentiam perpetuam, quando provenit à natura, matrimonium dirimere, nõ propterà negat dirimere, ſi ex alio capite proveniat, nempè ex maleficio, cùm id expreſsè habeatur *cap.fina.33.q.1.* de quo videri poteſt Brancatus noſter *diſp. cit.ar.3.* & Hurtad. *diſp.* 12. *diffic.* 6. qui alios citat.

426 Quintò carentia utriuſque teſtis eſt impotentia naturalis matrimonium dirimens, non verò carentia unius tantùm; quare perfectè Eunuchi ſunt inhabiles ad matrimonium, & ita eos declaravit Sixtus Conſt. *cit.* 1581. & ratio ex ipſa rei natura deducitur, quia Eunuchi eſto cum fæmina coire valeant, & aliquem humorẽ fundant, tamen ſemen propriè dictum emittere non valent, ſed ſolum humorem quendam aqueum à verò ſemine ſubſtantialiter diverſum, ac etiam à ſemine ſterili ſenum, aut aliorum, qui non generant; quarè ad perficiendam copulam ſunt prorſus inepti, quæ nõ niſi per veri ſeminis immiſſionem perficitur, & ideò ex natura rei ſunt prorſus ad matrimonium inhabiles. Nec refert, quòd licèt non poſſint conſequi finem matrimonii primarium, ſcilicet generationem prolis, poſſint tamen conſequi ſecundarium, ſcilicet ſatisfacere concupiſcentiæ mulieris, & propriæ, qua ratione matrimonium eſt validum in ſenibus, & ſterilibus. Non refert, inquam nam non eſt matrimonium ordinatum in remedium concupiſcentiæ; niſi quatenus conjunctio, qua fit ſatis concupiſcentiæ, ex natura rei ordinatur ad finem principaliorem generationis, qualis non eſt Eunuchorum, non enim poteſt valor matrimonii ab ejus fine primario ſejungi, ſaltem quoad hoc, ut poſſint cõjuges copulari per ſe ad gignendam prolem; Et licèt ad valorem matrimonii non requiratur, ut poſſit effundi ſemen ſimpliciter fęcundum; ominò tamen requiritur, ut verum ſemen poſſit effundi, quod utique fundunt ſenes, aut aliter ſteriles, quamvis tale verum ſemen adhuc ſit ex accidentali indiſpoſitione infæcundum; at Eunuchi verum ſemen non effundunt, ſed ſolùm quemdam humorem aqueũ à vero ſemine eſſentialiter diverſum, & hoc eſt diſcrimen, quod inter Eunuchos ex una parte verſatur, & ſenes, & ſteriles ex altera quoad matrimonii capacitatem; Secùs autem dicendum de Eunuchis imperfectè, qui ſcilicet carent tantùm uno teſte, nam iſti valide contrahunt, cùm iſti non tantùm verum ſemen emittant, ſed etiam fęcundum, & ad generationem ſint apti, & hęc eſt communis Theolorum ſententia.

427 Sextò Difficultas eſt, an Hermaphroditus, ideſt, habens utrumque ſexum poſſit validè contrahere, & quomodo, & primò conveniunt Doctores poſſe licitè, & validè matrimonium contrahere juxtà ſexum in eo prævalentem *l. Quæritur ff.* de ſtatu hominum, & ratio eſt, quia in eo ſexu poteſt generare, & ratione illius præminentiæ potiùs vir, aut fæmina appellabitur.

Deindè conveniunt in eo, quòd ſi ſexus ſit æqualis, poſſit juxtà ſexum, quem elegerit, matrimonium contrahere, præſtito juramento, ſe alio nunquam uſurum, durante matrimonio, ita ex Can. 15. *Præsbiteros 16. qu. 1.* Quod ſi facto viduus de facto contraxerit juxta alterum ſexum, adhuc validè contrahet, quia etiam juxtà eum habet potentiam ad perfectam copulam, & nullo jure contractus ille irritatur, & forſan etiam licitè contrahet, ſaltẽ abſq; mortali, ſi illud juramentum non præceſſerit, ſiquidem eo juramento ſecluſo, nulla in hoc apparet inordinatio ſaltem gravis; Ita Hurtadus *diſp.12.diffi.10.* Bonacina tamen *qu.3.punc.13.* cum Sanchez, Gutierez, Ugolino, Coninchio, & aliis ait, hoc non poſſe facere abſque gravi peccato, licèt validè contraheret, quia electionem variaret in re graviſſima, cùm ſit valdè indecens, uti modò uno ſexu, modò altero.

428 Eſt tamen Difficultas, an poſſit validè contrahere ſecundam ſexum minùs prævalentem, quando uterque ſexus eſt inæqualis Negat Bonacina ibidem cum Sanchez, poſſe hoc validè facere, ſicut enim matrimonium celebratum inter perſonas ejuſdem ſexus eſt invalidum, ita quoque jure naturæ invalidum eſt matrimoniũ ab Hermaphrodito celebratum juxtà ſexum inferiorem, nam ſi in eo prævalet fæmineus ſexus, cenſetur fæmina *l. Quæritur*, & conſequenter cum fæmina contrahere nequit, ſi prævalet virilis, non poteſt cum viro contrahere, eo quod contrahere cenſeatur cum perſona ejuſdem ſexus. Hurtadus verò cum Ponce, Caſpenſi, & aliis ait, Hermaphroditum poſſe etiam validè contrahere juxtà ſexum minùs prævalentem, quando juxtà talem ſexum eſt potentia ad perfectam copulam, ut eſſe poteſt, quia jure naturali non eſt inhabilis, cùm verè ſit potens juxta eum ſexum, ut ſupponitur, neque jure aliquo poſitivo, quia nullum extat. Quod autem dicitur in dicta *l. Quæritur* magis cenſeri virum, quàm fæminam, quando virilis ſexus prævalet, & è contrà, non obſtat, quia etiam tunc eſt ſufficienter fæmina, & quamvis magis cenſeatur fæmina, quàm vir, quando ſexus fæmineus prævalet, etiam non obſtat, quia etiam tunc eſt ſufficienter vir.

Dices, quando fæmineus ſexus prævalet, non eſt Hermaphroditus Ordinum clericalium capàx, ſed tantùm quando ſexus virilis præeminet; ergo ſimiliter in ſexu minùs prævalente contrahere nequit; Negatur conſequentia, & paritas, quia ad ſacros ordines ſuſcipiendos requiritur virilitas, undè vel vir tantùm eſt illorum capax, vel ſaltem ille, in quo talis ſexus prævalet, ſi eſt Hermaphroditus, ad ſtatum autem matrimonii uterque ſexus eſt idoneus, & hæc ſecunda opinio mihi quoque probabilior videtur.

429 Poſtremò eſt Difficultas, an fęmina arcta inciſſionem pati teneatur, ut ad coitum apta reddatur, ſeù an impotentia arctationis in fæmina ſit impedimentum dirimens, & ſenſus quæſiti eſt, an Virgo, quæ ratione arctitudinis non poteſt perfectè à viro cognoſci, poteſt tamen reſerato pudoris clauſtro, teneatur ſciſſionem pati, ut ab eo valeat cognoſci, & matrimonium cum ea initum validũ ſit. Baſilius Poncius *lib.7.cap.26.* quem ſequitur etiam Poncius noſter *diſp.46.qu.13.* ait, Virginem illam nec teneri, nec poſſe licitè ſciſſionem pati, quia eſt contrà honeſtatem, quòd mulier patiatur ſe incidi, ac proindè ex natura rei tale matrimonium ab initio nullum, & irritum cenſeri debere, & impotentiam cenſendam eſſe perpetuam reſpectivè ad talem fæminam, ſi peractis tribus annis à jure deſignatis ad experiendam viri potentiam, adhuc non valuerit pudoris clauſtra reſervare, & conſequenter in hoc caſu integrum eſſe utrique ad ſecundas nuptias tranſire.

Oppoſita tamen opinio communior, & probabilior aſſerit, Virginem ſponſam debere in tali caſu ſciſſionem pati, ſi abſit vitæ periculum, & grave incomodum, quia poteſt ſecundum rectam rationem pati illam, ut poſſet ob alias infirmitates tollendas pati ſimile remedium, aut etiam illud ipſum, ſi hoc eſſet neceſſarium, non eſt autem inhoneſtum, quod fit ſecundũ rectam rationem, nulla enim apparet turpido in eo, quòd natura arte juvetur ad actum honeſtum exercendum, qualis eſt actus conjugalis, ac proindè ſi aliàs fieri poteſt abſque periculo vitę, ut ſæpè fieri poteſt, dictam impotentiam non cenſeri perpetuam, nec matrimonium dirimere; Et quidem tota hæc doctrina clarè deducitur ex ſacris Canonibus *Cap. ex Litteris, & cap. Fraternitatis De Frigid. & Maleficiat*, ubi declaratur, eam cenſendam eſſe impotentiam perpetuam, quæ Medicorum ope juvari non poteſt, & ita etiam loquitur Scotus *diſ.34. cit.* ab initio, ubi eam dicit, eſſe impotentiam ſimpliciter, & perpetuam, cui ſubveniri non poteſt per naturam, vel artem, ergo ſi ſponſa, quæ arcta eſt aliquo artificio juvari poteſt, ut conjugali copulæ reddatur apta, cenſeri non debet impotentia laborare perpetua, nec matrimonium ab initio cum ea initum nullum, & invalidum. Ita Sanchez, Henriquez, Tancred, Gutierez, Bonacina, Hurtadus, Averſa, Caſpenſis, & alii paſſim, qui etiam ad hoc adducunt rationem ſatis obviam, quia dùm fæmina contrahit, abſolutè ſe

obli-

obligat ad copulam coniugalem; ergo ſimpliciter etiam ſe obligat, ad media neceſſaria ad eam copulam, ſi non adſit vitæ periculũ aut aliud grave incommodum; ergo conſequenter ſe obligat etiam ad prædictam ſciſſionem, à qua obligatione non liberatur ob moleſtiam doloris, quia ſimilem quoque interdum fęmina patitur, dùm virginale clauſtrum reſeratur, & primos edit partus; nec etiam à tali obligatione liberatur, quia talis ſciſſura ſit contrà honeſtatem quia inhoneſtum non eſt, quod fit ſecundum rectam rationem, ut dicebamus, & in ordine ád actum honeſtum exercendum, qualis eſt actus coniugalis. Adhuc tamen verùm eſt, ut prædicti Auctores ultrò fatentur, non teneri ſponſam huiuſmodi inciſionem pati cum graviſſimo morbi incommodo, quia non videtur obliganda cum tanto ſuo incommodo ad debitum coniugale reddendum, & matrimonium adhuc validum cenſet Bonacina loc. cit. ego tamen cenſerem invalidum, quia impotentia in tali caſu perpetua cenſeri debet reſpectivè in ordine ad talem fœminam.

QUÆSTIO DECIMASEXTA.

De Impedimentis Ligaminis, voti Solemnis, & Ordinis.

430 IUxtà ordinem ab initio *q.* 13. conſtitutum in declarandis impedimentis dirimentibus, poſt impedimentum iam declaratum, quod importat inhabilitatem, & impotentiam phyſicam ſeù naturalem ad exercendum actum coniugii, nunc agendum eſt de impedimentis importantibus inhabilitatem, & incapacitatem moralem; Et quidem primò de ligamine, quod talem moralem inhabilitatem importat ad contrahendum univerſaliter cum omnibus aliis perſonis, poſt contractum cum una perſona initum; quod quidem oritur etiam ex natura rei, ſivè ex ipſa lege naturæ, ac proindè per ſe afficit, & obligat omnes nationes. Deindè agendum eſt de impedimentis Voti ſolemnis, & ordinis, quę important quoque inhabilitatem moralem ad contrahendum abſolutè cum quacunq; perſona, ſed tamen oriuntur ex inſtitutione legis poſitivæ, & ſunt peculiaria inter Chriſti Fideles in Eccleſia Chriſti.

ARTICULUS PRIMUS,

De Impedimento Ligaminis.

431 DE hoc Impedimento agit Doctor ex inſtituto 4. *diſt.* 33, per duas integras quæſt. ubi ait, hoc ligamen nil aliud importare, quàm vinculum viri cum uxore poſt contractum matrimonium legitimum, ſivè conſummatum, ſivè tantummodo ratum impediens, & dirimens iure divino cum altera matrimonium, ut colligitur ex Matth. cap. 19. & Marci cap. 10. ubi dicitur; *quicumq; dimiſerit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur*, ex quibus verbis ſic arguit à fortiori Innocentius Tertius cap. *Gaudemus* extrà de divortiis; *ſi ergo uxore dimiſſa, duci alia non poteſt, quanto fortiùs, & ipſa retenta*, & ratio eſt, quia uxor dimiſſa poſt legitimum matrim. adhuc eſt verè uxor, & hoc idem ex Eccleſiæ praxi, & communi Chriſtianorum uſu expreſsè deducitur, undè Concil. Trid. *ſeſſ.24. can.* 2. hoc idem his verbis definit; *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures habere uxores, & hoc nulla divina lege eſſe prohibitum, anathema ſit*, & hoc idem ſatis patet ex dictis ſuprà *q.* 6. de indiſſolubilitate matrimonii præſertim accepti in ratione ſacramenti, & *q.* 7 de Unitate eiuſdem, ubi etiam diſcuſſum eſt, quo iure Polygamia ſit prohibita; Et hoc intelligendum eſt de ligamine inducto non tantùm per matrimonium conſummatum, ſed etiam ratum, ligarus enim per ratum nihil ampliùs habet, vivente priori uxore, cum qua contraxit, quòd communicare matrimonialiter poſſit cum altera; quia tunc fit permutatio, & ligamen, ſeù vinculum oritur ex interno conſenſu mutuo externè expreſſo per verba de pręſenti ex cap. *Tuæ Fraternitati*, De ſponſalibus, actus autem copulæ eſt uſus rei permutatæ, & non eſt pars aliqua nova, & eſſentialis huius contractus, ut ait Doctor 4. diſt. 31. B. ſicut emptio, & venditio equi conſiſtit in conſenſu mutuo, quo duo per pecuniam, vel aliud permutant equum, uſus autem equi ad legitimam permutationem nihil facit, ſed eſt eius effectus. Hinc ſequitur, quòd ſi quis ex ſecundo matrimonio prolem ſuſcepiſſet, teneretur tamen ad priorem redire coniugem, ſi adhuc viveret ex cap *Licet* de ſponſa duorum.

432 Solvitur autem hoc ligamen, & impedimentum per mortem alterius coniugis, undè coniux, qui ſuperſtes in vita remanet, non eſt ampliùs vinculo matrimoniali ligatus, ſed ſolutus, & validè, & licitè ad ſecundas nuptias poteſt tranſire, ut iam diximus *q.7* ab initio, & hoc expreſſe deducitur ex D. Paulo ad Rom. 7. *Quę ſub viro eſt mulier vivente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro, & ſimiliter 1. ad Corint. 7. mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius vivit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat tantùm in Domino*. In quibuſdam verò antiquis Canonibus, in quibus ſecundæ nuptiæ reprehendi videntur, ſenſus ſolùm eſt, ut notat Averſa *qu.14. ſeſſ.2.* quod minùs laudantur, & habentur, tanquam ſignum cuiuſdam intemperantiæ, & nimiæ concupiſcentiæ. Et non ſolùm primæ, verùm etiam ſecundæ, & tertiæ nuptiæ ſunt ſacramentum inter fideles, nihil enim eis deeſt, ratione cuius non ſint ſacramentum, cùm in illis omnia reperiantur, quæ ad rationem ſacramenti matrimonii requiruntur. Adhuc tamen verum eſt, ut paſſim Doctores advertunt, per ſecundas, vel tertias nuptias induci irregularitatem, cùm non perfectè ſignificent coniunctionem unius Chriſti cum una Eccleſia, modò copula ſit conſummata cum ſecunda uxore; imò irregularitas, non ſolùm per Bigamiam inducitur, qua plures uxores ſucceſſivè habentur, ſed etiam per eam Bigamiam, quæ incurritur per contractum matrimonii cum Vidua celebratum, vel cum alia ab alio carnaliter cognita, ut notat Bonacina cum aliis *qu. 3. punct.* 10. An autem ſecundæ nuptiæ ſint etiam benedicendæ, diverſæ ſunt ſententiæ, quæ videri poſſunt apud Stephanum à S. Gregorio *lib.3.cap.* 109. verior tamen, & probabilior ſententia eſt, in dictis benedictionibus ſervandam eſſe con ſuetudinem cuiuſque Eccleſiæ, ſivè dicta conſuetudo ſciatur à Pontifice, & toleretur, ſivè non ſciatur, ut ait Sanch. *lib.7.d.82.n.10*

433 Sed quia in rebus moralibus, & præſertim in hac re non ſemper haberi poteſt certitudo phyſica, & evidens de obitu alterius coniugis, utpotè in caſu abſentiæ, diſputari ſolet, qualis certitudo moralis requiratur, ut ſuperſtes poſſit tutò tàm in foro interno, quàm in externo aliud inire conjugium; Et relictis variis dicendi modis communior, & probabilior eſt, mortem cuniugis in caſu abſentiæ non haberi ſufficienter probatam ad ſolvendum ligamen, nec pro foro interno nec pro externo per cuiuſcunque temporis præſcriptionem de abſentia; ita ſtatutum eſt cap. *in Præſentia* de ſponſalibus; & quidem rationabiliter, quia certitudo moralis, qualis in caſu requiritur, non habetur per abſentiam multorũ annorum; ſicut nec habetur per ſolam famam, cùm fama oriri ſoleat ex auctore incerto, & plerumq; fallaci, undè in cauſis criminalibus fama non ſufficit ad concludendum cap. *Tùm vos De cohab.cler. & mul.* Néc etiam ſufficit probabilis exiſtimatio mortis prioris coniugis ex variis coniecturis, & inditiis, ut patet ex *c.cit. In prę́ſentia & c. Dominus* de ſecundis nuptiis, ubi dicitur; *Nullus ad ſecundas nuptias migrare prę́ſumat, donec ei cõſtet, quòd ex hac vita migraverit coniux eius*, illud autẽ cõſtare dicitur, quod ſub certã ſaltẽ moralem notitiã cadit, & quidẽ in re gravi qualis eſt materia matrim non debet vir prudens ſola probabili exiſtimatione duci cum periculo magni incommodi in caſu, quo res verè non ita ſe habeat. Talis ergo, & tanta certitudo requiritur, quanta judicio prudentis ſufficit ad credendum priorem conjugem certò mortuum eſſe, ut ait Bonacina *l.c.* & ratio eſt, quia niſi adſit tanta certitudo, contrahentes exponunt ſe periculo adulterii, cùm fieri poſſit, ut prior conjux ſit ſuperſtes, quę autem, & qualis cenſeri debeat certitudo prædicta, pluries declarat Brancatus noſter *diſp.24.art.6*, per plures concluſiones; Adhuc tamen verum eſt, quòd ſi conjugi ſuperſtiti ex propria ſcientia conſtaret, ut de viſu, alterum conjugem eſſe mortuum, hoc quidem ei ſufficeret ad illud matrimonium validè contrahendum, quamvis ei abſque alia probatione non concederetur à Iudice,

434 Sed hic duplex occurrit difficultas. Prima eſt, an validè ſecundum contrahat matrimonium, qui ſine ſufficienti probatione, & certitudune de morte prioris conjugis illud contrahit, ſed re vera poſteà invenitur, illum fuiſſe anteà defunctum dixi, an validè contrahat, quia quòd illicitè contrahat, concedunt omnes, conſtat enim, illum in tali caſu graviter peccaſſe, quia periculo ſe expoſuit nulliter contrahendi, et ſucceſſivè in adulterio permanendi. Ponce *lib.7.cap.53.* tenet, tale matrimonium eſt irritum, & nullum, quia ex cap. *In præſentia*, inhabilis reddita eſt perſona conjugata ad iterũ contrahendum, donec certum nuncium accipiat de morte alterius conjugis, ita quòd negligentia ipſa expectandi certum nuncium, quamvis ſine vero ligamine prioris conjugii, ſit impedimeutum dirimens, & irritans novum matrimonium.

Communis tamen opinio oppoſitum docet, nempè tale matrimonium eſſe validum, cùm ſit re vera contractum mortuo priori conjuge, ita Averſa, & Brancatus noſter *l.c.* & hoc expreſsè habetur in cap. *Dominus*. De ſecundis nuptiis, quamvis enim, ne matrimonium illicitè contrahatur, præcipiat Pontifex ibi, quòd nullus ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus, adhuc tamẽ ſupponit, & docet valere tale matrimonium abſque tali certitudine contractum, & ſolùm dirimi, quando de vita ejus conſtiterit; Et hoc etiã ſuadet ratio, quia in tali caſu uterque cõjux eſſet liber, nec ullum haberet impedimentum, non enim prohibitio de non contrahendo abſque certo nuncio eſt impedimentum dirimens ratione ligaminis, ſed ipſum ligamen à parte rei exiſtens, ut patet ex *cap. Dominus* nuper allato, ubi non dicit Pontifex, matrimonium eſſe in re nullum per hoc, quòd temerè fuit contractum, & abſque morali certitudine de morte alterius conjugis, ſed eo quòd ſuperveniens primus cõparuerit. Neque in dicto *cap. In pręſentia* à Ponce adducto dicitur oppoſitum, ſed tantùm declaratur ibi illicitũ ſecundũ matrimonium ante habitum certum nuncium de morte prioris cõjugis, nõ autem redditur per hoc irritum, & nullũ, nec perſona inhabilis ad contrahendum in caſu, in quo re vera prior coniux mortuus erat.

ſed

ſed non adhuc cum ſufficienti probatione, & ibi redditur ſolùm matrimonium nullum, & irritum, quando contingit, inveniri vivum priorem coniugem, ut patet ex verbis ipſius textus.

435 Altera Difficultas eſt, ſi è contrà contingat, quempiam adhibita omni debita diligentia, & cum morali certitudine de morte prioris coniugis, contrahere novum matrimonium, ſed poſteà detegatur, priorem conſortem adhuc vivere, an valeat hoc ſecundum matrimonium bona fide contractum. Et quidem abſq; ulla controverſia certum eſt apud omnes, hoc ſecundum matrimonium quantumvis bona fide contractum irritum eſſe, & nullum, & mulierem teneri ad priorem coniugem reverti, dimiſſo ſecundo, quia bona illa fides ligamen contractum cum priori non diſſolvit, & ita expreſsè deciſum eſt in iure *cap. cit. Dominus. De ſecundis nuptiis* his verbis *ſi poſt de prioris coniugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem coniugem revertatur, & in cap. Cùm per bellicam* dicitur, compellendas eſſe mulieres, ut novos viros relinquant, & ad priores ſedeant, quandò adhuc vivi revertuntur.

Dices in dicto cap. *Cùm bellicam* Pontifex remittit in arbitrium prioribus coniugis, ſi velit redintegrare ſuum matrim. ergo ſupponit, ſolutum fuiſſe per ſecundum matrim. bona fide contractum.

Confir. quia Alexander Tertius cap. *Prælatum* delarat filios in tali caſu ex ſecundo matrimonio bona fide contracto ortos eſſe legitimos; ergo ſupponere videtur, ſecundas nuptias in tali caſu initas ſine peccato, & bona fide eſſe validas.

Reſp. negando conſequentiam, illis enim verbis ſolùm remittitur viri arbitrio, ſi velit denuò cum ſua uxore cohabitare, & eam ad ſuum conſortium revocare, in quo potiùs ſupponitur, adhuc prioris matrimonii vinculum manere, & non valere ſecundum, quare argumentum potiùs eſt ad oppoſitum.

Ad Confir. negatur pariter conſequentia, etenim filii ex ſecundo matrimonio orti declarantur quoq; legitimi, non quià matrim illud ſit validum, ſed quia fuit bona fide, & ſine peccato contractum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Impedimento Voti Solemnis Profeſſionis, & Ordinis.

436 CONveniunt Doctores, votum caſtitatis eſſe duplex, aliud ſimplex, & aliud ſolemne; votum ſolemne eſt illud, quod emittitur, vel in ſuſceptione ſacrorum, vel in profeſſione Religionis; votum ſimplex eſt illud, quod fit ad libitum cuiuſcumq; Docent inſuper ex communi conſenſu, non omne votum dirimere, & invalidum reddere matrimonium, licèt impediat, & illicitum reddat, ut dictum eſt ſupra *q. 12.* de impedimentis non dirimentibus, ſed tantùm prohibentibus; ſpecialiter ergo voto, quod dicitur ſolemne, hæc vis adſcribitur dirimendi matrimonium, ita ut ſi poſt hoc votum contrahatur, ſit nullum & irritum, & ita definitum eſt in Concilio Viennenſi Clement. unica de Conſanguinit. in Trid. *ſeſſ. 24. can. 9.* & in aliis Concil. relatis à Sanch. lib. 7. diſp. 26. & aliis Theologis.

Gravis tamen controverſia eſt inter eoſdem, quęnam differentia ſit inter votum ſolemne, & votum ſimplex, & in quo propriè ſolemnitas voti conſiſtat, & rurſus, quo iure votum ſolemne matrimonium irritet, an tantùm iure Eccleſiaſtico, vel etiam iure naturali divino, Et quidem quamplures docent, hoc eſſe diſcrimen inter votum ſimplex, & votum ſolemne, quòd votum ſimplex eſt ſola promiſſio caſtitatis, & continentiæ ſervandæ; ſed votum ſolemne eſt etiam actualis traditio, quare illud ſe habet, ut ſponſalia, hoc autem ut matrimonium; undè concludunt, votum ſolemne Religionis conſiſtere in actuali traditione dominii ſui ipſius in manus Dei, & ſuperiorum Religionis, & in hoc à voto ſimplici differre, quod tantùm continet promiſſionem, & non traditionem. Et hinc poſteà deducunt, votum ſolemne irritare matrimonium, non tantùm iure Eccleſiaſtico, ſed etiam iure naturali divino; quia res ſemel tradita uni, & in eius dominium trauslata, ab eoq; poſſeſſa iam ex natura ipſa rei, ſive ex naturali iure, non poteſt ampliùs alteri tradi, & in dominium alterius transferri; ſed profeſſus per votum ſolemne iam ſeipſum in totum tradidit Religioni, tranſtulit dominium ſui in Religionem, & poſſidetur à Religione; ergo ex natura ipſa rei ampliùs non poteſt validè tradere, ſive transferre ſeipſum ſive corpus ſuum in dominium coniugis per matrimonium; & hæc etiam eſt ratio, cur votum ſolemne matrimonium dirimat, ſimplex verò tantùm impediat, quia res uni promiſſa poteſt quidem validè, quamvis illicitè tradi alteri, ſed res ſemel tradita uni, & in eius dominio repoſita non poteſt ampliùs validè alteri tradi, unde votum ſolemne ſe habet tanquam ſpirituale coniugium, nō poteſt autem quiſquam poſtquā ſemel tradidit dominium ſui per matrim. uni coniugi, tradere ampliùs alteri; pro hac ſententia cit. D. Thomas, D. Bonaven. Riccardus, Durandus, Caietanus, Valentia uterque Sotus, uterque Ledeſma, Henriquez, Ugolinus, Graſſius, Cov. Turrecremata, & alii tàm ex Iuriſtis, quàm ex Theologis; qui ulteriùs ex præmiſſo fundamento inferunt, quòd etiamſi ſolemnitas voti dicatur iure Eccleſiaſtico inſtituta; tamen adhuc videtur iure naturali matrimoniū dirimente; quia poſtquam Eccleſia inſtituit, ut extent Ordines Religioſi, & tales Ordines approbavit, & conſtituit, ut profeſſio ſolemnis ſit actualis traditio ſui facta Religioni, & poſtquam Religio eam acceptavit, iam ex natura ipſa rei ſequitur, ut non poſſit quis valide ſe tradere alteri per coniugium, & hanc ſententiam cum tali limitatione approbare quoque videtur ex noſtris Poncius diſt. 46. qu. 11.

437 Oppoſita ſententia eſt Scoti *4. d. 38. q. un.* ubi poſtquam plures reiicit differentias ab aliis poſitas inter votum ſolemne & ſimplex, adducit etiam hanc, quòd ſolemnitas voti conſiſtit in ipſa traditione, qua quis plenum ſui dominium tradit Deo, mediante Eccleſia acceptante; non ita fit in voto ſimplici, quo emiſſo manet adhuc vovens ſui iuris, quia nulla ſequitur traditio, aut poſſeſſio eius acceptata, & completur contractus tantùm per acceptationem, ſicut qui rem ſuam promiſit, non ideò re ipſa, aut dominio privatur, ſed manet apud promittentem, donec ſequatur traditio. Hanc autem differentiam impugnat Doct. quia vovens voto ſimplici dat poteſtatem, & ius ipſius Deo, cui vovet ad proſequendū votum, ſicut vovens voto ſolemni, non enim minùs transfert aliquis à ſe, quod immediatè dat Deo, quàm quod dat ſibi, mediante homine Vicario, & omnia, quæ requiruntur ad eſſentiam voti æquaiiter reperiuntur hinc, & indè tàm in voto ſimplici, quàm in ſolemni quoad translationem dominii, & acceptationem.

Quòd ſi dicas, Deum noluiſſe poteſtatem corporis immediatè ſibi dari, ſic quòd datio ſequens ad conjugiū ſimpliciter nulla eſſet ſed ſic voluiſſe tantùm de datione facta ſibi, mediante homine, ſivè Eccleſia acceptante. Hoc omninò gratis dicitur, inquit Doct. quia Deus etiam votum ſimplex acceptare cenſetur, cùm ſit ſibi gratū ac proindè tranſit in pactum, nec apparet ratio, cur Deus hoc votum quoque non acceptet, tàm quoad obligationem, quàm etiam quoad dominii translationem rei promiſſę in ipſum Deum, nec ex ullo textu Scripturæ probatur, poſſe Eccleſiam impedire, quin homo poſſit per votum corpus ſuum tradere ad perpetuam continétiam ſervandam, ſed tantùm definitur cap. Unico in 6. eam traditionem eſſe ſolemnem, quæ matrimonium poſteà contractum dirimit, ergo iſta ſolemnitas ex ſola traditione non habetur, nam etiam in voto ſimplici de re præſenti eſt traditio, ſed ex Eccleſiæ inſtitutione, & ſic expreſsè habetur in dicto cap. *Unico* his verbis, *Voti ſolemnitas ex ſola Eccleſia conſtitutione eſt inventa*; Undè concludit Doctor in fine quæſtionis lit. D. quòd ratio hujus differentiæ eſt tantùm Eccleſiæ ſtatutum, quæ illegitimat perſonam ſolemniter voventem ad contractum matrimonialem, non autem voventem ſimpliciter, & congruentia hujus eſſe poteſt, inquit Scotus, quia vovens ſimpliciter non ſic ponit ſe in poteſtate Eccleſiæ, quantum ad propoſitum contractus, ſicut vovens ſolemniter, nam vovens ſolemniter non ſolùm in manu Dei ſe ponit, ſicut vovens ſimpliciter, ſed etiam in poteſtate Eccleſiæ, & ideò voventem ſolemniter cogit Eccleſia ad non contrahendum, & illegitimat talem contractum, ſed voventem ſimpliciter relinquit divino judicio tantùm, undè licèt contrahendo mortaliter peccet, non tamen Eccleſia talem contractum dirimit; quarè concludit Doct. omnia, quæ in voto ſolemni ſunt intrinſecè, inquantum eſt actus voluntatis transferentis ſuum dominium in Deum, reperiri etiam in voto ſimplici; quod fit de re præſenti, ut voveo caſtitatem, paupertatem &c. nec in uno eſſe magis traditionem, quàm in alio, ant aliquam differentiam eſſentialem, ſed tantùm ex Eccleſiæ conſtitutione minorem vim habere, & ita ſentiunt ibidem Tataretus, Baſſolius, Aureolus, & alii Scotiſtæ.

438 Et hanc ſententiam non ſolùm ſequuntur Scotiſtæ, ſed etiā Recentiores ferè omnes, ut Sanchez, Tancredus, Gutierez, Ponce, Coninchius, Averſa, Caſpenſis, Hurtadus, Bonacina, Becanus, Stephanus à S. Gregor. & alii paſſim, qui proindè aſſerunt, votum ſolemne, & ſimplex ejuſdem materiæ v. g. caſtitatis non differre, eſſentialiter, nec ex ipſius voti natura, nec jure divino, ſed tantùm accidentaliter ex ſola Eccleſię conſtitutione, quæ conſtituit, ut votum ſolemne dirimat matrimonium ſubſequens non autem ſimplex, votum enim ſolemne nil habet ſuprà votum ſimplex, ratione cujus magis dirimat matrimonium, quàm ſimplex, excepto Eccleſiæ decreto, ſicut enim in voto ſolemni traditur perſona Deo, ita etiam in ſimplici; Quod non tantùm probant ex dicto cap. *Unico* de Voto in 6. ſed etiam quia antè tempora Cæleſtini Tertii, & Alexandri Tertii non eſt in Eccleſia facta mantio voti ſolemnis, & ſimplicis; & Gregorius XIII. in Bulla conceſſa Societati Ieſu anno 1584. incipiente *Aſcendente Domino* decidit vota emiſſa à Religioſis Societatis Ieſu poſt biennium eſſe ſimplicia, & ad huc eſſe in eis veram traditionem, & acceptationem Eccleſiæ, ex quo patet, quò d ſublato Eccleſiæ ſtatuto nullum votum eſſet ſolemne, undè Congregatio quarundam fæminarum, quas vocant Beatas, licèt emittant vota in manibus ſuperioris, cui ſe tradunt, non proindè emittant vota ſolemnia, quia Eccleſia ea non accipit, ut talia; Quarè concludunt, votum ex eo tantùm dici ſolemne, quòd in eo adhibeatur cerimonia, & formula jure Eccleſiaſtico petita, ſicut juramentum ſimplex nō in alio à ſolemni differt, quod in hoc ſervatur formula quædam præſcripta de jure; Undè ſi aliquod aliud

votum

votum ſolemne ab Eccleſia inſtitueretur extrà profeſſionem Religionis, & extrà ordines ſacros, illud adhuc eſſet verè votum ſolemne, & conſequenter haberet effectum irritandi matrimonium.

439 Ex qua doctrina ſequitur, votum emiſſum per profeſſionem ſolemnem Religionis non irritare matrimonium poſteà contractum iure divino, aut naturali, ſed tantùm jure Eccleſiaſtico, quia antequam Eccleſia conſtitueret vota ſolemnia, erant vota ſimplicia de quorum natura non eſt matrimonium dirimere; ſed tantùm impedire, & prohibere, ut ſupra dictum eſt; Unde inferri poteſt, etiam vim dirimendi matrimonium ſolo jure Eccleſiaſtico eſſe in eodem voto ſolemni inductam, vel quia ſolemnitas ipſa ex parte conſiſtit in hac ipſa matrimonii irritatione, vel quia ſicut Eccleſia effecit, ut tale votum eſſet ſolemne, ita eadem Eccleſia ſua peculiari lege inſtituit, ut per votum ſolemne tantùm matrimonium dirimeretur, & irritaretur; cuius ratiò ſatis congrua jam à Scoto aſſignata eſt, quia vovens ſolemniter poſuit ſe in poteſtate Eccleſiæ, quantum ad oppoſitum eius, ad quod eſt matrimonii contractus, voventem autem privatè non illegitimavit, quia non ſic ſe poſuit in eius poteſtate, ſed ſolùm in manu Dei, & ideò Eccleſia eum reliquit judicio divino.

Confirm. hoc etiam Recentiores citati, quia per vota ſimplicià Societatis Jeſu fiunt veri Religioſi, cùm per ipſa fiat vera traditio propriæ perſonæ ad Religionem, & acceptatio ab ipſa Religione, prout fuit definitum à Gregorio XIII. in Bulla adducta; & tamen dicta vota ſpectato jure naturæ matrimonium non dirimerent, ſed tantùm illud dirimunt virtute dictæ Bullæ; igitur vota ex ſolo jure Eccleſiaſtico matrimonium dirimunt, quia nimirùm ſolemnitas eſt tantùm ex eodem jure Eccleſiaſtico.

Demum probatur ratione, quia ſi aliqua eſſet ratio, cur dicere debeamus, profeſſionem jure naturali reddere irritum matrimonium, eſſet traditio, quæ per illam fit, & translatio dominii, ut urgent Auctores primæ opinionis; ſed hæc ratio non obſtat, quia quantumvis dicatur, dictum votum ſolemne habere non ſolùm rationem promiſſionis, ſed etiam traditionis, hæc ipſa traditio non propterea habet ex natura ſua vim dirimendi matrimonium, quia alterius generis, & rationis eſt ab ea traditione, quæ fit per matrimonium, neque hæc traditio facta in voto pugnat cum traditione, quæ fit in matrimonio; quod pluribus exemplis conſtare poteſt, nam traditio, qua quis ſe vendit alteri in ſervum, & dominium, quod emens acquirit in illum, non per hoc reddit ſervum inhabilem ad contrahendum matrimonium, ut ſuprā dictum eſt, eo quòd ſint traditiones diverſi generis, & ordinis, coniugatus etiam poſt matrimonium conſummatū poteſt de licentia uxoris validè profiteri, & ſi illa adulteretur, ſine licentia; & tamen prior traditio per matrimonium facta non diſſolvitur, cùm maneat adhuc vinculum matrimonii, & hoc non alia ratione, niſi quia ſunt traditiones alterius generis, & ordinis; ergo nulla eſt ratio, cur dicamus, votum in profeſſione emiſſum jure naturæ matrimonium ſubſequens dirimere.

440 Ex his patet, quid ſit dicendum ad oppoſitæ ſententiæ fundamentum, quia traditio, quæ fit per votum ſolemne profeſſionis non pugnat ex natura rei cum traditione, quæ fit in matrimonio, eo quòd ſint alterius generis, & ordinis; neque ex natura rei in hoc differt votum ſolemne à ſimplici, ſed ex poſitivo jure Eccleſiæ, & tàm vis dirimendi matrimonium, quàm abſolutè ſolemnitas ipſa voti inſtituta eſt ab Eccleſia: de quo puncto plura habet Hiquęus 4. diſt. 38. qu. Un. in Commentario, ubi probat, votum ſolemne ratione ſolius ſolemnitatis differre à ſimplici voto, & hanc ſolemnitatem eſſe tantùm juris Eccleſiaſtici; plura etiam habet de votis ſimplicibus Societatis, quæ ait, acceptari ab Eccleſia cum tali limitatione, ut non ſimpliciter, & abſolutè eſſent perpetua ex parte Religionis acceptantis, & ob id dici ſimplicia ad diſtinctionem votorum, quæ in aliis, & in hac ipſa Religione ſunt perpetua abſolutè tàm ex parte votarii, quàm ex parte Religionis, quo non obſtante ait, adhuc talia vota ſimplicia verè Religioſum conſtituere quoad omnia ſubſtantialia, & eſſentialia ex definitione Gregorii XIII. in extravaganti *Aſcendente Domino* contrà quoſdam Theologos, qui aſſerebant, vota ſimplicia Societatis Jeſu non conſtituere Religioſum propriè dictum, ac proindè Jeſuitas per profeſſionem trium votorum tantùm non evadere Religioſos, ſed remanere ſæculares, & Ordinariis ſubiectos, eo quòd vota illa ab ipſis emiſſa non ſint ſolemnia, ſed ſimplicia.

441 De hac quoque materia fusè agit, & eruditè Brancatus noſter *diſ. 30. art. 2. §. 4.* ubi ipſe quoque aſſerit, ſolemnitatem voti continentiæ non conſiſtere præcisè in hoc, quòd per ipſum transfertur dominium corporis voventis in alium, quia hæc etiam translatio intrinſeca eſt voto ſimplici ſed conſiſtere in hoc, quòd vovens tradit, & ponit ſe ſub alterius hominis poteſtate vice Dei agentis, & hoc quidem immobiliter tàm ex parte voventis, quàm acceptantis, & Eccleſiæ illegitimantis ipſum ad contractum coniugalem. Ex quo infert num. 76. pro ſolemnitate voti non ſufficere ſui corporis traditionem Deo factam ad actus continentiæ perpetuò exercendos, quia id adeſt in omni voto puro, & privato, neque ſufficere præter hoc traditionem factam homini, quia Jeſuitæ in profeſſione trium votorum ſe tradunt Religioni, ut ait Gregorius XIII. in Conſtit. 89. cit. & tamen ea ſunt ſimplicia ex eodem; neque ſufficere, quòd traditio ſit perpetua ex parte profitentium, quia talis eſt prædictorum Patrum Societatis, non enim poſſunt à ſui donatione reſilire, & tamen vota ab eis emiſſa poſt biennium Novitiatus non ſunt ſolemnia; ſed requiri hæc omnia, & prætereà ut etiam ex parte acceptantium ſit perpetua, ut ſcilicet ipſi non poſſint voventes dimittere, ſeù licentiare, & hoc modo habetur voti ſolemnitas. Et tandem art. 5. ipſe quoque de mente Doctoris concludit jure tantùm Eccleſiaſtico, non autem naturali, aut divino, votum continentiæ Religioſorum eſſe impedimentum dirimens, quod ibi fusè probat pluribus Canonum, & Pontificum decretis, ac rationibus & prætereà art. 6. oſtendit, ex quo tempore inductum ſit in Eccleſia hoc impedimentum dirimens voti profeſſionis Religioſæ; Ubi etiam advertendum eſt cum Scoto loc. cit. non tantùm id intelligi debere de profeſſione expreſſa, ſed etiam tacita, ut habetur in cap. Un. de Voto in 6. quod etiam jure novo confirmatum eſt, & poſt Concil. Trid. ut docent Navarrus, Azorius, Tamburinus, Barboſa, & alii canoniſtæ, & per plura decreta ſacra Congregat. Concil. à Brancato relata diſp. cit. art. 4.

442 Quoad impedimentum Ordinis conveniunt Doctores, primam Tonſuram, quatuor minores Ordines matrimonium non dirimere, imò neque impedire nec jure aliquo poſitivo, quia nullum extat; Sacros autem Ordines etiam ſubdiaconatus jure Eccleſiaſtico dirimere matrimonium poſt Ordinem contractum; ita præſertim docuit Scotus 4. *d. 37. q. un.* & habetur expræſsè *ex cap. 1. & 2. Qui Clerici, vel voventes, & ex cap. Un. de voto in 6.* quod à Concil. Trid. poſteà confirmatum eſt *ſeſſ. can. 9. Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, anathema ſit.* Quòd autem de omni Ordine ſacro id intelligatur, eſt evidens quia Canones, & Concilia loquuntur de Ordine ſacro in communi, ut omnes & ſingulos comprehendit, Maxima autem, ait Doctor *loc. cit. §. Dico ergo*, fuit congruentia ad hoc ſtatuendum, quia talis deputatur Miniſterio ſacro, quod munditiam requirit mentis, perſpicacitatem intellectus, & fervorem affectus, ad quæ omnia diſponit connentia; & ad eorum oppoſita frequentia carnalis actus; nec in hoc debet aliquis dicere, Eccleſiam ſibi præiudicare in ſuo jure, quia Eccleſia communiter non cogit aliquem ad ſuſceptionem Ordinis ſacri, & ſatis publicavit, quòd poſt talem Ordinem ſuſceptum ſuſcipiens eſt inhabilis ad contrahendum, igitur voluntariè incurrit talem inhabilitatem; ita Doctor loc. cit.

443 Sed hic triplex occurrit Difficultas; Prima eſt, an Ordinibus ſacris de jure divino, vel tantùm Eccleſiaſtico annexa ſit obligatio continentiæ, quæ ſit impedimentum dirimens matrimonium poſt Ordines ſacros contractum. Affirmant nonnulli antiquiores paſſim ab Auctoribus citati, non tantùm jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure divino ſacris Ordinibus inſtitutum non poſſe matrimonium inire, quorum fundamenta adducit Averſa cum aliis *qu. 4. de Ordinis ſacramento ſec. 3.* Communis tamen ſententia tàm Veterum, quàm Recentiorum oppoſitum docet, nempè jure Eccleſiaſtico tantùm, & non divino, hanc continentiam præſcribi, & eodem jurè impedimentum Ordinis fuiſſe inductum, & ita præſertim tenet Doctor loco citato aſſerens, contrarium non eſſe probabile.

Probatur autem, quia nullum extat divinum præceptum de hac re, neque ex lumine naturali colligi poteſt, quamvis enim ratio naturalis dictet, eſſe validè conſentaneum, ut diximus, quòd ſacri homines ab actibus carnalibus abſtineant, & uſu matrimonii, non tamen dictat; eſſe neceſſarium, alioquin veteris teſtamenti Sacerdotes uxores habere non potuiſſent. Confirmat id Doctor ex conſuetudine primitivæ Eccleſiæ, quæ multis jam ſæculis Græcis Sacerdotibus uſum matrimonii conceſſit antè Ordinationem contracti, ut patet in c. *Cùm olim in Decretal. De Clericis coniugat*, hoc autem non feciſſet, ſi cælibatus divino jure eſſet Sacerdotio annexus. Demùm id expreſsè deducitur ex Can. 9. cit. Trid. ubi totam inhibitionem vitæ coniugalis refert in legem Eccleſiaſticam quoad Ordines ſacros, & ad votum ſolemne quoad regulares. Fundamenta prioris ſententiæ vide ſoluta apud Averſam, & alios loc. cit. & apud Brancatum noſtrum *diſp. 9. art. 9.* ubi de hac re fusè tractat per plures §.

444 Altera difficultas eſt, Undè oriatur in Ordinatis hoc impedimentum dirimens, an ſcilicet hæc inhabilitas proveniat ex vi voti cum Sacris Ordiaibus coniuncti, an verò ex ſtatuto Eccleſiæ inhabilitantis exiſtentem in Sacris Ordinibus ad matrimonium. Prima Opinio affirmat, hanc obligationem continentię Ordinibus annecti, mediante voto proprio ordinatorum, nō quidem explicito, & expreſſo, ſiquidem non invenitur talis forma voti in ritu Ordinationis, ſed tacito, & implicito, quod fit opere ipſo, nempè reali Ordinum ſuſceptione, ſicut & datur profeſſio tacita, quæ fit opere ipſo, complendo ſcilicet annum probationis, & geſtando habitū ac gerendo munera profeſſorum. Fundamentum eſt, quia in Jure

Per plura capita ſub *diſ.* 28. in Clerico in ſacris Ordinato hæc obligatio continentiæ vocatur etiam nomine voti, & profeſſionis, & præſertim cap. 1. ubi dicitur; *Nullum facere Diaconum audeant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit*; ergo hæc obligatio continentiæ eſt ex voto Caſtitatis, quod Eccleſia ſuo præcepto cogit emittere eos, qui ſacros ordines ſuſcipiunt facto ipſo ſine aliis verbis. Accedit etiam ratio, quia ſi Clerici in Sacris Ordinati tenentur ex præcepto Eccleſiæ, & non ex proprio voto ad continentiam, lapſus carnis in ipſis non eſſet diverſæ ſpeciei, nec haberet circunſtantiam addentem novam ſpeciem præ lapſu Laicorum, præceptum enim Superioris, quando cadit ſuper materiam aliàs debitam per ſe nô addit aliam ſpeciem malitiæ; ſed qui conſtitutus in ſacris carne labitur, peccat ea ſpecie peccati, quæ eſt contrà votum, nam peccat in eadem ſpecie, ac Religioſus profeſſus, qui utique peccat contrà ſuum caſtitatis votum, ergo obligatio continentiæ ſacros ordines comitatur ex proprio voto eorum, qui ordinantur, & non immediatè ex præcepto Eccleſiæ. Ita D. Thomas, Riccardus, Capreolus, Hiſpaienſis, Palatius, & alii antiquiores, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſp. 27. q. 2.* cùm pluribus aliis.

445 Secunda ſententia è contrà aſſerit, obligationem continentiæ ſacris Ordinibus annexam eſſe directè, & immediatè ex præcepto Eccleſiæ imponentis talem obligationem iis, qui ordinantur in ſacris, ſicut præcipit, & obligat ad recitandum divinum officiũ addit tamen, quòd Ordo ſacer ſit impedimentum dirimens, non oriri formaliter ex tali præcepto ab Eccleſia facto, ne ordinati in ſacris contrahant, ſed ex eo, quòd ulteriùs Eccleſia illegitimat, & inhabilitat Ordinatos in ſacris, ne validè contrahant; Ita Scot. loc. cit. cum omnibus Scotiſtis, & pluribus aliis tùm Antiquioribus, tùm Recentioribus, quos citat, & ſequitur Averſa *q. 4. cit. ſec. 7.* & quidem quoad primam partem optimè probatur ab ipſo. Primò ex Iure Canonico, quia in pluribus ſacris Canonibus, & decretis invenitur hæc obligatio impoſita abſolutè, & ſimpliciter per modum præcepti ab ipſa Eccleſia, ſicut per ſe imponuntur alia præcepta; Nec in eis iniungitur, ut Clerici debeant in ſua Ordinatione promittere, & vovere continentiam, ſed abſolutè, ut deinceps continentiam ſervare debeant. Deindè probat ex modo loquendi Doctorum, apud quos talis Clericorum obligatio ad continentiam vocari, & nominari ſolet lex continentiæ, præceptum continentię ita quòd talis obligatio per ſe impoſita ſit per modum legis & præcepti, & non tanquam fuerit lex Eccleſiæ tantùm de hoc, ut qui ordinantur, promittant, & voveant continentiam; idque præſertim deducit ex modo loquendi Concilii Trid. *ſeſſ. 24. can. 9.* cuius verba paulò ſupra retulimus num. 442. ubi Concilium diſtinctè nominat legem Eccleſiaſticam, & Votum; ſicut diſtinctè nominat Clericos in ſacris conſtitutos, & Regulares ſolemniter profeſſos; nimirùm referens legem Eccleſiaſticam ad Clericos ordinatos, & votum ad Regulares profeſſos; non ergo per medium voti, ſed immediatè per legem Eccleſiæ ſacris ordinibus annexa eſt obligatio continentiæ. Tandem hoc ipſum probat ex ipſo Ordinationis ritu, quia ſi obligatio continentię in Clericis ſolùm per modum voti inſtituta fuiſſet, conveniebat ſanè, ut hoc votum eſſet explicitum, & expreſſum, quod in ipſa Ordinatione emitteretur, ſicut in Regularibus, dùm ſolemniter profitentur; ſed in Ordinatione tale votum non exprimitur ab ordinandis, undè Subdiacono intimatur quidem continentiæ obligatio, non tamen votum eius exigitur; ergo obligatio continentiæ ipſos adſtringit potiùs per modum Eccleſiaſtici præcepti, quàm proprii voti; Undè etiam addit, quòd ſi quis ordinaretur cognoſcens quidem, & intendens ſuſcipere ſacrum Ordinem, ignorans prorſus, annexum eſſe ſacro Ordini continentiæ votum, utique nec explicitè, nec implicitè voveret, & tamen adhuc in tali caſu ad continentiam obligaretur; ergo non ex voto proprio, ſed ex præcepto Eccleſiæ, & ſic omnes alii obligantur, Imò ait Scotus fieri poſſe, ut quis in ſuſceptione Ordinis animum non habeat vovendi caſtitatem, ac etiam contrarium, hic planè remaneat obligatus adhuc ad ſervandam continentiam, & tamen non ex vi voti; ergo immediatè ex vi præcepti Eccleſiaſtici.

446 Quo autem ad ſecundam partem probat Doct. aſſertum, quia licèt Eccleſia præciperet exiſtenti in ſacris continentiam, & matrimonium prohiberet, non ob id ſolùm matrimonium irritatur, quia non omnis prohibitio irritat factum; ut probat *extra de matrim. contr. contra interdictum*; ex eo ergo, quòd Eccleſia Ordini ſacro prohibitionem illam adiunxit ineundi matrim. non ideò matrim. eſt nullum, niſi etiam perſonam ſimul inhabilitaverit.

Confirm. quia pluries ex Eccleſiæ præcepto prohibetur perſonis ne contrahant, & tamen ſi faciant, validè faciunt, ut tempore interdicti, tempore adventus, & quadrageſimę eſt prohibitum contrahere, & tamen ſi aliqui prædicto tempore id faciant, validè faciunt, ergo prohibitio ab Eccleſia facta ordinatis non ſufficit ad invalidandum matrimonium poſteà factum, niſi aliud accedat, nimirùm illegitimatio, & inhabilitatio perſonarum; Conſequentia patet; quia non adeſt maior ratio, cur præceptum Eccleſiæ invalidet in uno caſu, & non in alio, nulla facta variatione, Tandem probatur à pari, quia conſanguinitas, affinitas, honeſtas publica, raptus, & alia huiuſmodi impedimenta ab Eccleſia inducta ideò dirimunt, quia tales perſonæ ab Eccleſia factæ ſunt illegitimæ ad coniugalem contractum; ergo idem dicendum eſt in propoſito de ordine Sacro, qui ideò eſt impedimentum dirimens, quia, ſic ordinatus factus eſt ab Eccleſia ad talem contractum inhabilis, & illegitimus.

447 Ad fundamentum primæ opinionis ex iure deſumptum dicendum eſt, per votum & profeſſionem continentiæ in illis iuribus intelligi ſimpliciter, & abſolutè hanc obligationem, prout erat ab Eccleſia inſtituta, ſivè voluntariam ipſam ſuſceptionem Ordinis ſacri cum hac obligatione; & ſic vocari votum implicitum, & tacitum, quia licèt non expreſſione verborum, tamen facto ipſo recipitur talis obligaiio, & fit talis profeſſio; & hoc ſpeciali titulo ſuſceptio ordinis ſacri vocata eſt votum, & profeſſio continentiæ, ut iudicaretur ſpontanea, & libera electio eorum, qui cum Sacro ordine hanc obligationem ſubire conſentiunt, etenim ob difficultatem, & præſtantiam ipſius continentiæ nullatenus Eccleſia quemquam obligare voluit ad illam ſervandam, niſi ſua ſpontè volentem Ordines ſuſcipere. Ad rationem dicendum eſt, verè adhuc eſſe novam ſpeciem malitiæ in peccato Clerici, ſicut Religioſi fornicantis, quia re vera additur nova deformitas contrà rationem, & contrà aliam diſtinctam virtutem à caſtitate, & hoc quidem ſatis patet in habente votum caſtitatis, quia frangitur promiſſio Deo facta, & delinquitur contra virtutem Religionis; in habente etiam præceptũ abſque voto hoc idem dicendum eſt, licèt enim præceptum ſimpliciter, & abſolutè loquendo non diſtinguat novam malitiam in actu, quando fertur ex motivo eiuſdem virtutis, in quo res eſt aliàs debita, ut dictum eſt lib. 2. diſp. de actibus humanis; quandò tamen fertur ex motivo alterius diſtinctæ virtutis, verè diſtinguit; ſic autem eſt in caſu noſtro, ubi præcipitur continentia Clericis ob reverentiam divini myſterii, & ſacri Ordinis, atque adeò ex motivo Religionis erga Deum, ut notavit etiam Averſa *loc. cit.* qui proindè ait, omninò teneri Clericum in his peccatis hanc circumſtantiam in confeſſione aperire, tamquam mutantem ſpeciem, ita tamen quòd quandò confitetur alicui ſcienti, illum eſſe in ſacris, eo ipſo confitetur peccatum cum hac circumſtantia, etiamſi non ampliùs illam verbis explicet. Unde etiam infert, diverſam ſpecie eſſe hanc deformitatem peccati carnalis ex circumſtantia Ordinis, atque ex circumſtantia Voti, quia licèt utraque ſit contra virtutem Religionis ſub genere ſacrilegii; tamen Religio diverſas habet partes, & ſacrilegium diverſas ſpecies, ſicut & diſtincta malitia ſacrilegii contrà Religionem eſt fractio voti, & fractio Juramenti; atq; ideò quando quis ſimul profeſſus, & ordinatus in ſacris carne delinquit, verè præter malitiam luxuriæ incurrit quoque duas alias ſacrilegii unam ratione voti in profeſſione, & alteram ratione præcepti ſacro ordini annexi, atque adeò debet utraque circumſtantia diſtinctè in Confeſſione aperiri, & notificari.

448 Ultima demùm Difficultas eſt, an abligatio continentiæ ſe extendat etiam ad invalidè ordinatos, vel ante ætatem, vel vi, & metu; Et relictis paucorum quorundam opinionibus, ſequendo communiorem; & probabiliorem. Primò dicendum eſt, invalidè ordinatum, ex quocunq; defectu proveniat invaliditas, nullo modo ad continentiam teneri, atque adeò non ſolùm validè, ſed etiam licitè, & liberè ex hac parte poſſe matrimonium contrahere; Ita Sanchez, Coninch. Tancred. Averſa, Bonacina, Barboſa, & alii paſſim tàm Theologi, quàm Juriſtæ; fundamentum ſumitur ex jure, & ratione, quia quando actus principalis non valet, ſeù eſt invalidus, nec etiam ſubſiſtit effectus conſequens *L. cùm principalis ff. de Regulis Juris*; ſed in hac re actus principalis eſt ordinatio, effectus verò conſequens obligatio continentiæ, ergo ſi ordinatio non valet, nec conſequenter obligatio; & hoc verificatur, ſive hæc obligatio dicatur immediatè oriri ex præcepto Eceleſiæ, ut ſuprà diximus, ſivè ex proprio voto, ut alii dicebant; nam Eccleſiæ præceptum non dirigitur, niſi ad eos, qui verè, & validè ordinati ſunt, nec aliter Eccleſia eos obligare intendit, nec aliter quis caſtitatem vovere intendit in ſuſceptione ordinum, niſi inquantum verè, & validè ordines ſuſcipit, alioquin votum ſimplex caſtitatis etiam independenter ab Ordinatione emittere poteſt.

446 Deinde, ſuppoſita validitate Ordinationis in infantili ætate ex Innocentio Terto in cap. Un. de Clerico per ſaltum promoto, quia licèt in adultis requiratur quidem intentio ſuſcipiẽdi ad validitatem Sacramenti in, parvulis tamen adhuc Sacramenta valent abſq; tali intentione, exceptis iis, quæ intrinſecè tanquam partem ſuam requirunt actus ſuſcipientis, qualia ſunt Pęnitentia, & Matrimonium, & Extrema Unctio, quæ peccata commiſſa ſupponit, facta, inquam, talis validitatis ſuppoſitione; Dicendum eſt, obligationem continentiæ non ſe extendete ad ſic ordinatos, ſcil. in infantili ætate, ita Auctores ſupracitati, & alii communiter; fundamentum eſt, quia ſic ordinatus non teneretur ad caſtitatem ſervandam ratione præcepi, ſiquidem credibile non eſt, Eccleſiam velle ipſum ſua lege obligare ad caſtitatem ſervandam, niſi Ordines ſuceptos ratificaverit in competenti ætate; Eccleſia enim per ſe non obligat ad continentiam, niſi illos, qui rationis compotes, ſcientes, ac volentes ſuſcipiunt ſacros ordines. Neque talis teneretur ratione voti Ordinibus ſacris annexi, nam votum eſt voluntaria promiſſio facta Deo, infans autem antè rationis uſum non poteſt Deo voluntariè promiſſionem facere; ergo neque ex vi voti tenetur ad continentiam, & caſtitatem ſervandam.

Sed obiicit Hurtad. *d, 16. diffic. 2.* oppoſitum tenens cum quibuſdam aliis, quia ſic ordinatus licèt non teneretur ratione voti ſacris Ordinibus annexi, quia abſque uſu rationis votum fieri nequit, adhuc tamen teneretur ratione iuris Eccl. ipſi Ordini annexi, quia ius Eccl. dirimens matrimonium eſt abſolutè annexum Ordini ſacro non minùs, quàm iura Eccleſiaſtica ſunt annexa baptiſmo; ergo ſicut iura Eccl. comprehendunt baptizatum ante rationis uſù, ita etiam ius Eccl. dirimens matrimonium annexum Ordini ſacro comprehendit ſacris initiatum ante rationis uſum. Reſpondetur negando conſequentiam, & paritatem aſſumptam de Baptiſmo ad fidem obligãte, & alias Eccl. leges; nam ad fidem obligantur omnes de iure ipſo divino, etiam ante Baptiſmum, & fides omnibus neceſſaria eſt ad ſalutem; aliæ verò leges baptizatum obligantes vel ſunt etiam divinæ, & de rebus ad ſalutem neceſſariis, vel quæ ſunt ab Eccleſia latæ, non ſunt ita arduæ, quæ ſubditorum conſenſum requirere debeant ad hoc, ut obligent, ſicut lex de Continentia Clericorum; hæc enim eſt res adeò ardua, & inſignis, & præter naturæ inclinationem, ut niſi quls voluntariè ſtatum contiſentiæ aſſumat non poſſit ab humana poteſtate ab extrinſeco cogi, & ligari, ut rectè diſcurrit Averſa. *q. 4. cit. ſec. 8.*

450 Demum ob eandem rationem Dicendum eſt, obligationem continentiæ neque ſe extendere ad ordinatos per vim, & metum, intelligendo vim, & metum iniuſtum, & gravem, etiamſi habuerint intentionem ſuſcipiendi Ordinem, alioqui Ordinatio non valeret, in tali, inquam, caſu obligatio continentiæ non contrahitur, niſi poſtea ſublata vi, & metu ſtatus ſacri Ordinis detuò ratificetur, & acceptetur; Ita etiam Auctores omnes iam relati, & alii communiter; Fundamentum eſt idem, quod præcedentis aſſerti, ut dicebam, quia talis obligatio non induceretur ex Eccleſiæ præcepto, nam ad validitatem huius præcepti requirit iam Eccleſia liberum conſenſum Clerici ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ſicut requirit ad validitatem voti, & requirit libertatem non ſolùm ab omnimoda neceſſitate, ſed etiam à vi, & metu gravi. Non etiam induceretur talis obligatio ex vi voti ſacris ordinibus annexi, quia votum ſaltem ſolemne vi, & metu gravi extortum eſt nullum, & irritum ipſo iure, ut habetur ex *c. Prælatum, & c. Cùm dilectus* De his, quæ vi &c. ubi eſt ſermo de voto profeſſionis Religioſæ; & ex communi regula circà ea, quæ fiunt per vim, & metum in humanis, & moralibus actionibus facilè deducitur.

QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

De impedimento cognationis.

451 Cognatio, quæ inter impedimenta dirimentia recenſetur, ſignificat coniunctionem quandam inter certas perſonas, ob quam inter eas matrimonium non admittitur. Triplex autem eſt Cognatio, prima eſt naturalis, & eſt pręcipua coniunctio inter certas perſonas per naturalem propagationem, & generationem, quæ proindè dicitur coniunctio carnalis, ſeù ſanguinis, & proprio nomine Conſanguinitas vocatur tàm à Theologis, quàm à Juriſtis. Secunda Cognatio eſt ſpiritualis, & appellatur hoc nomine ad imitationem, & ſimilitudinem quandam cum præcedenti, quatenus eſt coniunctio quædam inter certas perſonas in ſpirituali generatione per ſacramentum Baptiſmi, & Confirmationis. Tertia Cognatio eſt legalis, quæ ex filiorum adoptione naſcitur, & eſt coniunctio quædam per inſtitutionem legis, qua quis loco filii naturalis ſibi alium in hæredem adoptat; de hac igitur triplici cognatione matrimonium dirimente in pręſenti quæſtione agendum eſt, de quibus etiam exactiſſimè tractat Aſteſanus noſter *lib. 8. citat. 17. 18. & 19.*

ARTICULUS PRIMUS.

De cognatione naturali, ſeù Conſanguinitate.

452 Scotus de hoc impedimento tractat 4. *d. 40. q. un.* & ad declarandum, quomodo cognoſcendi, & computandi ſint gradus conſanguinitatis, in primo articulo aſſignat deſcriptionem conſanguinitatis, & diſtributionem graduum, & tres regulas generales, quę communiter à Canoniſtis, & Theologis ſunt receptæ; inquit itaque, Conſanguinitatem deſcribi poſſe, quòd ſit vinculum perſonarum ab eadem perſona carnali propagatione deſcendentium, illa autem perſona, à qua deſcendunt, dicitur ſtipes; linea verò dividitur in lineam rectam, & in tranſverſalem, ſeù collateralem; linea recta deſcendens eſt à perſona propagante ad propagatas, ut pater, filius, nepos &c. linea aſcendens eſt è converſo, ut pater, avus, proavus, &c. linea verò tranſverſalis eſt, quando ambæ perſonæ deſcendunt ab eadem, & neutra ab altera, ut frater, ſoror, conſobrini, &c. In his autem lineis ſunt diverſi gradus cognationis, gradus autem eſt determinata propinquitas perſonæ ad perſonam, ſi quidem in linea aſcendentium, & deſcendentium quælibet perſona addita alteri facit gradum, undè pater, & filius ſunt in primo gradu, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto; In linea verò tranſverſali duo fratres ſunt in primo gradu, horum filii in ſecundo, & ita conſequenter.

453 Deindè ad diſtantiam illam dignoſcendam, & computandos ipſius conſanguinitatis gradus tres regulas generales aſſignat, quas alii etiam paſſim adducunt. Prima regula eſt, quòd in linea recta aſcendentium, & deſcendentium tot numerantur gradus, quot Perſonæ. Undè pater, & filius in primo conſanguinitatis gradu coniuncti eſſe dicuntur, quia filius à Patre una generatione deſcendit, & nepos eſt in ſecundo cum avo, quia ab eo deſcendit duabus generationibus, proavus, & pronepos ſunt in tertio, abavus, & abnepos in quarto gradu, & ſic deinceps. Secunda regula eſt, quòd in linea tranſverſali æquali tot gradibus unus coniungitur alteri, & ab eo diſtat, quot quilibet coniungitur ſuo communi ſtipiti proximo, & ab eo diſtat.

Ratio eſt, quia ratione illius tantùm coniunguntur, & in ordine ad illum diſtant, vndè frater, & ſoror ſunt in primo gradu lineæ tranſverſalis, quia in eo gradu ſunt cum ſuo communi ſtipite proximo, quo mediante inter ſe coniunguntur, & in ordine ad quem diſtant; Patrueles verò, & conſobrini, ſeù filii, & filiæ fratris, & filii, ac filiæ ſororis ſunt in ſecundo gradu. Nepotes, & Neptes ex fratre, & nepotes, ac neptes ex ſorore ſunt in tertio gradu. Pronepotes & pronepotes ex fratre, & pronepotes, & pronepotes ex ſorore ſũt in quarto gradu, & ſic deſceps. Tertia regula eſt, quòd in linea trãſuerſali in æquali tot gradibus unus coniungitur alteri, & ab eo diſtat, quot qui remotior eſt à communi ſtipite proximo, ei coniungitur, & ab eo diſtat. Ratio eſt, inquit Doctor, quia perſonæ, quæ ſunt in linea tranſverſali, non habent inter ſe propinquitatem, niſi ratione communis ſtipitis, à quo originem ducunt, & ideò nõ poſſunt inter ſe propinquiùs coniungi, quàm remotior eorum coniũgatur ſtipiti, ũdè Patruus, & Nepos ex fratre ſunt in ſecũdo gradu quia eodem diſtat nepos ex fratre ab illo, qui eſt ſtipes utriuſq; & ſimiliter pronepos diſtat à Patruo in tertio gradu, quia eodem diſtat à Proavo, & ſic deinceps. Ex his deducit Doct. quòd ex naturę congruentia efficacior eſt gradus in linea recta, quàm in tranſverſali ad removendum matrimonium, & ratio naturalis eſt, quia plus coniuncta eſt proles parenti, & avo, &c. quàm alteri proli, & ideò magis eſt contrà legem naturę coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in linea tranſverſali, ſemper enim fuit contrà matrimonium illa coniunctio, & magis filii ad matrem, quàm Patris ad filiam, quia maior irreverentia eſt, ita Doctor lit. C.

454 His pręmiſſis Doct. loc. cit. art. 2. deſcendit ad ſolutionem quęſtionis, an, & qui gradus conſanguinitatis ſit impedimentum dirimens matrimonium, & ait, diverſam habendam eſſe rationem talis impedimenti, tàm in lege naturę, & innocentię, quàm Moſayca, & Evangelica, diverſoſque gradus aſſignat prohibentes in illis; & tandem deſcendẽs ad Evangelicam ait, quòd aliqua variatio facta eſt pro decurſu temporis in deſignatione gradus, ad quem ſe extendat hæc prohibitio, & irritatio matrimonii, etenim olim extendebatur uſque ad ſeptimum gradum, ut patet ex pluribus capitibus 35. q. 3. ſed poſteà ſub Innoc. Tertio reſtricta eſt uſque ad quartum gradum incluſivè, ut patet ex *c. Non debet de conſanguinitate, & affinitate*, & Confirmatur à Trident. *ſeſſ. 24. c. 5.* explicant autem Doctores, & ita intelligendum eſſe aiunt, quòd ſi unus recedat ultrà quartum, imò & alium propinquiorem, poteſt inter eos matrimonium contrahi, quia abſolutè attenditur remotior gradus. Rationem poſteà congruentię adducit Doctor, cur aliquando Eccleſia perſonas conſanguineas illegitimaverit ad contrahendum in gradu remotiori, & poſteà in quarto gradu tantùm incluſivè, & ratio illegitimationis fuit propter pacem, & amicitiã in Eccleſia ſervandam; uſque enim ad quartum gradum manet amicitia ratione conſanguinitatis, & ex tunc incipiunt eſſe quaſi extranei, & amore tepeſcere, & ideò congruum eſt, tunc per vinculum coniugale tepeſcentem amicitiam revocare.

455 Sed hic duplex occurrit Difficultas. Prima eſt, an conſanguinitas in linea recta dirimat matrimonium de iure naturę; Et quidem communis ſententia cum Scoto *loc. cit.* convenire videtur, lineam conſanguinitatis rectam ſaltem in primo gradu de iure ipſo naturę matrimonium dirimere, quod Doct. colligit ex illis verbis Adami Gen. 2. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuę*; quaſi ſupponendo, non poſſe filiam eſſe uxorem Patris, aut Matrem filii; & hoc etiam ex ipſo lumine naturę dictari videtur ob reverentiam debitam filiorum ergà parentes, & ob coniunctionem ipſam naturalem filiorum cum parentibus, filii enim ſũt veluti pars parentum, adeò ut pater, & mater in filio dicantur fieri una caro; undè communiter apud omnes nationes connubium inter parentes, & filios ſemper nefandum, & abominabile reputatum eſt, quia natura ipſa etiam in animalibus brutis id abhorrere videtur, ut quibuſdam exemplis ex hiſtoriis deductis probat Doctor. loc. cit. ſolùm eſt aliqua difficultas, an ſaltem in caſu extremę neceſſitatis eſſet ex natura rei licitum, & validum tale coniugium, ſi duę ſolùm humanæ perſonæ, pater, & filia, aut mater,